VITA
MARIAE
STVARTAE
SCOTIAE REGINAE,

Dotariæ Galliæ, Angliæ & Hibernię
Hæredis.

Scriptore GEORGIO CONAEO
SCOTO.

AD
VRBANVM VIII.
PONT. MAX.

BIBLIOTECA 1872

ROMAE,
Apud Ioannem Paulum Gellium.
MDCXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

VITA

MARIAE

STVARTAE

SCOTIAE REGINAE,

Dotariae Galliae, Angliae & Hiberniae

[illegible]

[illegible] GEORGIO CONAEO

[illegible]

[illegible]

VRBANVM VIII

PONT. MAX.

ROMAE,

Apud Ioannem Paulum Gellium

MDCXXIV.

Digitized by Google

S. D. N.

VRBANO VIII.

PONT. MAX.

GEORGIVS CONAEVS.

F. P.

MARIAE Stuartæ Reginę celeberrimę vitã editurus, a nullo alio lucem mutuari debui, quam ab eo, qui ſupra cæteros mortales conſtitutus vicario æterni ſolis ſplẽdore fideles illuſtrat: is tu vt eſſes, Beatiſſime Pater, inſignia tua merita, & cõmunis Purpuratorum aſſenſus euicere: quem ſi Chriſtiani

populi ſuffragia in iſto dignitatis faſtigio collocare potuiſſent, iam pridē atque vna cum purpura claues, & diademata ſumpſiſſes: adeo conſtans nimirum erat omnium ordinum in eximias tuas dotes voluntas. Sed cū a virtutum tuarum commemoratione magnitudo me deterreat, S. T. ſilens tacituſq. veneratus, qualecūq. hoc opuſculum ad ſanctiſſimos pedes deuotiſſimi animi mei pignus depono. Debetur equidem S. T.ª quidquid ingenij mei tenuitas producere vnquam poterit; nam quem purpuratum in

ſacro

ſacro illo Collegio Mæcenatem habui & Patronũ, eundem coronatum pręReg ibus mitiſſimum Dominũ experior & Paſtorem. Debetur S.T. Mariæ Stuartæ vita, quę ſi communi hac lucis vſura frueretur, ipſa ſe tibi non vno nomine deberi fateretur: cuius funus tam luculento Epitaphio adoleſcẽs adhuc ornaſti, vt mors illi hoc elogio videri debeat illuſtrior: cuius gentẽ aliquot ab hinc annis in tutelam ſuſceptã benignitate maxima protexiſti; nec ad totius Orbis moderationẽ a iuſtiſſimo iudice electus,

Digitized by Google

alterius illam fidei, quã Il-
luſtriſſimi Franciſci Cardi-
nalis Barberini, non minus
virtutum tuarum æmulatio
ne, pijq. in gentem noſtram
affectus, quã ſanguinis con-
iunctione proximi, tuæque
Purpuræ heredis, commiſi-
ſti: cuius filium tanto amo-
re complexus ſemper es,
quanto Catholico Præſuli
alieni cultus Principem cõ-
plecti fas eſt: Iſtud teſtãtur,
quę nondum in Cardinaliũ
numerum adſcitus, pro iu-
ſta eius in Anglicani Re-
gni coronam ſucceſſione,
loco temporeq. opportunis
dixiſti; teſtãtur quotidiana
tua

tua de regijs eius dotibus encomia; quæq; in nupera ſub Gregorio XV. inſtituta congregatione de matrimonio inter Sereniſſimos Carolum Britanniarũ Principem, & Mariam Hiſpaniarum Infantem, nõ abſq. ſumma laude feciſti, quæ eiuſmodi fuere, vt liquido conſtet, tua inprimis autoritate & prudentia (quibus inter æquales maxime ſemper enituiſti) factum eſſe, ne per ſedem Apoſtolicam ſtaret, quin vtriq. regi libera negotij cum publico Reipub. Chriſtianæ, & ſuo bono conficiendi facultas da-

† 4 retur

Digitized by Google

retur; & vtcunque res cadet, prolixum tuum de magna Britannia bene merendi ſtudium æternum dicetur, atque laudabitur. Verum nouus hic forte & ſummus pontificiæ dignitatis gradus, qui aliorum præſulum cogitationes aliorſum flectere ſolet, S. T. a priſtina Iacobi Regis, Carolique Principis cura auertit. Audaci meæ libertati ignoſces, Pater Beatiſſime, ſi dixero S. T. eo tempore horum fuiſſe memorem, quo nemo præter Vrbanum VIII. ſui memor fuiſſet: illo, illo vere

re Auguſto ſexto Auguſti
die, quem ego totius vitæ
meæ cum vniuerſo Catho-
lico Orbe lætiſſimum vidi,
poſt priuatam, publicamq;
a Cardinalibus factam ve-
nerationem, poſt admiſſam
a Regum oratoribus, &
Romana nobilitate congra-
tulationem, ex Baſilica A-
poſtolorum Principis in le-
ctum relatus, æſtu diei at-
que omnium ordinum con
curſu ita fatigatus, vt ægre
præ laſſitudine verba for-
mares; vocari me iuſſit S.
T. & quæ vltimæ fere e-
rant Cardinalis ad me vo-
ces, eædem Pontificis pri-

Digitized by Google

mæ fuerit. Quid noui de Iacobo Rege, & Carolo Principe? affulgeretne aliqua de illorum ad auitam fidem conuerſione ſpes? quidquid in eorum gratiã fieri poſſet, facturam S. T. libenter, neque tantum ſanguinem profuſuram, ſed & anathema cum Apoſtolo pro ipſis & illorum populis effici optare. quid ponderis hæc verba habeant norunt, qui Vrbani VIII. altam prudentiam, & ingenuam ac nobilem conſtantiam non ignorant. Quod ſi in animum, Iacobe Rex Sereniſſime, hæc ſerio demit-

mitteres, nunquam profe-
cto paterere ineptos quoſ-
dam mendaceſq. nouato-
res Maieſtati Tuę illudere,
& perſuadere Romanum
Pontificem de auferendis
tibi prouincijs cogitare, qui
de nulla re magis, quam de
tranſmittendis in poſteros
tuos Britanniarum ſceptris,
vna cum Catholica maiorū
tuorum fide eſt ſollicitus.
Supplices rogamus, pergas,
pergas, Pater Beatiſſime, vt
facis, Marię Stuartę fauere
ſoboli: Reges ſunt, Princi-
pes ſunt, amore ducuntur,
vinci ſe humanitate non pa
tientur; redibunt in Eccle-
ſiæ

ſiæ gremium, extra quã nul lus vnquã Scotiæ Rex, aut Regina, a ſuſcepta primum veritate, mortuus eſt: nec optimam, quam de illis con cepit S. T. ſpem fruſtrabun tur. Tragædias ſuas hereſis egit, ad cataſtrophen per-git; graſſata heu nimis diu in Septentrione noſtro cum animarum interitu peſtis, habitura te Pontifice, ita cum Deo ſperamus, finem: error, mendaciumq. nullis nixa radicibus per ſe ru-unt. Sola Eccleſiæ ianua eſt, contra quam infernus non præualebit, cuius tu claues diuino munere ac-

cepiſti

cepiſti, vt ſanctas aperias valuas, per quas omnibus ad ſalutem pateat via, ne ſe ianitoris incuria exc[illegible]ſum vllus conqueratur: has vtinam in Chriſtiani Orbis ſolatium diu teneas & feliciter. Romæ ex comitatu Illuſtriſſimi Nepotis tui Cardinalis Barberini Scotiæ Protectoris. A. d. IX. Kal. Aprilis Anni MDCXXIV.

Digitized by Google

Imprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur. Fr. Nicolaus Rodulfus Ord. Præd. Sac. Pal. Mag.

Digitized by Google

VITA

MARIAE STVARTAE

Scotiæ Reginę, Dotarię Galliæ, Anglię, & Hibernię hęredis.

Scriptore GEORGIO Conæo.

INclyta Stuartorum proſapia ex Banquhone Loquhabrię Thano (qui primariæ apud noſtrates iam tum in Albionem inuectos nobilitatis gradus erat) originem ducit. Eius multa in Reges ac Rempublicam Scoticam egregia merita, pauca admodum ſecus admiſſa reperies; quare mirum

Digitized by Google

nulli videri debet ramum hunc pietate in Deum, fide in Principem, charitate in populares multis ante ſæculis illuſtrem, regaliq demum trũco inſitum, viros produxiſſe, quos, & priſcis heroibus vel ęques vel pręponas, & ex quorum præclare geſtis habent quod imitentur poſteri. Verum cum ſingulorũ inſiſtere laudibus, quos variarum gentium commendant annales, non ſit præſentis conſilij, Mariæ Stuartæ vitam, qua potero fide,& breuitate deſcribam, cuius ſanguine nec dum ſatiata, aut emollita barbara hæreticorum crudelitas, gloriæ etiam ſplendorem, quam religio, & virtus perennem illi pepererunt, mẽdaci ſcriptione offuſcare,& infami calamo fædare conatur. Quas fraudes deteget,& refutabit ſine fuco narrata veritas, quæ placuit ſemper

per

Digitized by Google

per, & ipſa ſibi ad bonorum aures & patrocinium viam inuenit. Nec ego cum me impijs maleuolorum conatibus oppono, vllam adulandi mentiendiue, quorum cauſas procul habeo, ſuſpicionem notamue metuo: quippe nec vitia reticebo, nec falſas adferam virtutes: & quicquid hic legetur aut locupletiſſimorum ſcriptorum Monumentis, aut virorum omni exceptione maiorũ ſermonib. acceptũ referri debet. Quę mea Lucubratiúcula, quã ab eloquẽtia, & ſcribendi elegantia auctori non poteſt promittere laudem, à Syncero Reginæ, ac Dominæ meæ famam ab improborum calumnijs vindicandi amore, & conatu ſperabit apud æquos rerum æſtimatores, obſequij & pij cultus commendationem.

Iacobus V. Scotorum Rex

Digitized by Google

centeſimus quintus eximiæ indolis, excelſique animi iuuenis poſtquam auiti Regni adminiſtrationem ſuſcepit, in Galliam infeſto terra, marique itinere traijciens, inde Magdalenam Franciſci Regis filiam in thori, regniq. ſocietatē deduxit; qua, anno eodem,quo in Scotiam venerat, ſine liberis extincta,Mariam Guiſiam raræ pulchretudinis, probitatiſque feminam, cuius dotibus iam pridem captus erat per Legatos ex Galliæ acciuit;ex qua filios duos Iacobum, & Arthurum, vnamque filiam Mariam ſuſcepit: Filij immatura morte ſublati magnum parentibus ſui deſiderium reliquerunt. Maria ſeptem tantum dies nata Patrem amiſit, ad cuius interitum merito Britannia ingemuiſſe dicitur:eo ſiquidem adhuc regnāte in procerum quorundam men-

Digitized by Google

tibus pullulare cepit, quæ dudum Germaniam concuſſerat, Lutheri hæreſis, defecitque à Maiorum erga Romanam ſedē obedientia, impura Captus libidine, Henricus VIII. Angliæ Rex: qui omnem mouit lapidē, vt Iacobum Regem ſororis ſuæ filium ab auita erga Chriſti Vicarium fide auocaret (in qua octoginta tres Scotiæ Reges, à prima ſub Victore I. An. Dom. CCIII. ſuſcepta veritate, conſtantes permanſerunt) quare Eboracum inuitauit, & quia abnuerat (indignum quippe rebatur Princeps Catholicus ad colloquium cum Apoſtata deſcendere) crudeli bello petitus eſt; nec tamen Anglorum arma tantum reformidabat, quantum ne in vaſto borealium regionum incendio detrimenti aliquid apud ſuos religio caperet; quamobrem inquiſitores adhibuit

A 3 publi-

Digitized by Google

publicos,qui in cunctorum mores animaduerterent,quamque doctrinam profiterentur inueſtigarent. nonnulli, quos lethalis infecerat peſtis,igne cremati ſcelerum ſuorum pænas dedere,aliqui enſe,alij laqueo periere ; nullus viuo Iacobo impune tulit impietatẽ,manſuraque in fide Scotia credebatur, ſi Iacobus in viuis manſiſſet ; cuius mortem profligatus prope Angliam hæreticorum, qui in caſtris latebant, perfidia exercitus acceleraſſe fertur.nec minus erat Mariæ Guiſiæ piæ admodum, & religioſæ Principis in Catholicæ veritatis hoſtes,quam IacobiMariti odium: nam inter alia multa præclara decora, quæ à Sereniſſimus Lotharingiæ, & Excellentiſſimis Guiſiæ Ducibus, maioribus, & parẽtibus ſuis acceperat,ſingulare erga rẽ diuinã ſtudiũ here-

dita-

Digitized by Google

ditario quaſi iure Maieſtatem ſuam decere gloriabatur: ita porro ad prudentiam ſupra muliebris ſexus conſuetudinem compoſita erat, vt viro ad omnia egregia facinora pro Deo, & patria exequenda non impedimento, ſed auxilio fuerit.

Illo Patre, hac Matre genita Maria Stuarta An. M D X LII. menſe Decembri, magnam vniuerſæ Scotiæ ingentis alicuius gaudij ſpem fecerat, quam præpropera Regis mors in acerbiſſimum ſtatim luctũ conuertit. Extincto itaq; Patre infans, cui ob ſingularem vtriuſque Parentis erga Deiparam cultum, Mariæ nomen in Sacro Fonte inditum, ſeptimo, quo in lucem hanc edita eſt die, regnare cepit. quam anxie, nec ſine timore, ob ortas inter proceres de adminiſtratione diſſentiones in Litghuoa arce puerpera Mater

Digitized by Google

cuſtodiuit ; donec Reip.moderatio,pupillæque tutela,quibuſdam fruſtra in contrarium nitentibus, ſanguinis iure Aranio comiti ceſſit : cuius diligentia effectum ne quid Reginæ ad vtilitatem deſideraretur aut ſplendorem . Anglus interim commodam ſibi nactus videbatur occaſionem Scotos , à quibus nil , niſi bella,& clades, viuo Iacobo ſororis filio expertus erat , in partes ſuas adducendi , vt nudum latus contra Orthodoxorum potentiam,quorum ſe priuauerat ſocietate , muniret . Mariæ Nuptias, quæ vix ſecundum ætatis menſem expleuerat, Eduardo filio ſuo quinque annorum puero per literas primum, mox per legatos expetijt, & quo faciliorem ſibi viam ad ea,quæ volebat,ſterneret, nonnullos ex Scotica nobilitate,qui ſponte magis , quam
vlla

vlla neceſſitate à nupero conflictu captiui in Anglia manſerant, liberaliter acceptos, ac Conſilij ſui factos participes in Patriam nullo expetito lytro remiſit. quorum opera Cardinalis Betonius Scotiæ Metropolita, quem impijs ſuis Conatibus impedimento futurum rebantur, Cuſtodiæ nulla dignitatis habita ratione traditus fuit, ne Comitijs in Anglicæ factionis gratiam conuocatis intereſſet; erat vero Cardinalis hic Catholicæ veritatis acerrimus propugnator, cuius leues ineuntis adoleſcentiæ culpæ magnis ſunt emendatæ virtutibus, clariſque pro Eccleſia ſudoribus, ac ipſo tandem ſanguine expiatæ. mox Gubernatorem ipſum, à quo alia omnia ſperanda, induxere, vt Sectarium quendam nefanda in Deum, cæliteſque pro cōcione

Digitized by Google

Caſtris, & aula enutritum in Scotiam miſit, qui fœdus inter Scotos, Galloſq. renouaret, proceribus, ne cum Henrico vllas arctioris amicitiæ conditiones admitterent, ſuaderet, Galliæque opes & arma laboranti Scotiæ parata ſemper futura ſponderet; quæ ille quidem omnia, quamdiu plura à Gallo quam Anglo ſperare potuit, diligenter eſt exequutus; ac in primis Cardinali iam è cuſtodia libero, Huntlæo Comiti, alijſque, qui à Dei, & Reginę partibus ſtabant, Comitem ſe ſe adiungens, Lithquoum profectus eſt, vbi cum Reginam, Matremque conueniſſet, ſuique aduentus cauſas expoſuiſſet, euicit vt omnes vna inde ſtriuilingum ad infantem regio maiorum ſceptro, & diademate ornandā, digrederentur, reſq. tota Septēbri mēſe ex ſententia eſt Con-
fecta

ſecta. interfuit ſolemnitati præter omnium expectationem Aranius Gubernator; qui licet a Senoxio ſibi rerum ſummam vindicanti læſus videretur, noluit ob priuatam iniuriam publico erga Principem deeſſe officio. Regina nonum iam ætatis menſem ingreſſa, cum alias ſemper ſupra infantium conditionem angelicam vultu ſerenitatem præferret, eo, quo Coronata fuit die, ac inter ipſa ſolemnia catholico ritu peracta ingentem lacrymarum vim effudiſſe perhibetur, quibus anguſtias, in quas olim feſtiuitas illa tranſitura erat, teſtatam negare non audeo, nec affirmo. Lenoxius, qui hactenus à Regina ſtetit, cum præter opinionem ſuam, Gubernatorem, cuius locum, & dignitatem ipſe immatura ſpè deuorauerat, non ſolū Comitijs interfuiſſe, ſed, & Regiæ

Digitized by Google

giæ voluntati præclare morem gerere videret, ſe ſe factioſorum, qui ex Anglia redierant, partibus adiungens, fidei Gallo datæ, & Principi debitæ oblitus, ſtriuilingo abijt; adeo cuncta proprio, non publico, metiuntur commodo, qui immodicis abrepti cupiditatibus rectæ rationis limites tranſilierunt. Horum omnium certior factus Henricus, Mariam, ne in Galliam, quod ſummopere verebatur, aut quouis alio deferretur, ſibi cuſtodiendam tradi expetijt, & quia recuſauerunt Scoti, graue illis bellum terra mariq. indixit, illis potiſſimum adiutoribus, qui nuper defecerant. Quod vbi Gallus intellexit, onerarias aliquot in ſubſidium Gubernatori miſit; has Lenoxius violauit, & militem maiori, quam prius, numero conſcripſit. Dum tantis bel-

lorum

lorum incendijs Mariæ infan-
tia circumdaretur, iudicarent-
que homines minime mali Hē
rici fidei committendam, ne il-
lius vita cum totius Regni ſalu
te toties in periculum adduce-
retur, venit à Paulo. III. Pont.
Max. Patriarcha Venetus: cuius
legationis ſumma erat, Scotiæ
ſtatum cognoſcere proceres, vt
in auita perſiſterent fide horta
ri, quem cum ad Reginam de-
duxiſſet gubernator, Meritò,
inquit, Vos Scoti pro tam inſi-
gni Principe, ne in voracium
Luporum dentes incidat Ange
licæ pulcritudinis æmula, bel-
lum geritis, pergitè vt cepiſtis
veſtram defendere Helenam, &
ſicut æquiorem quā Ilienſes ha
betis cauſam, ita maiorem
apud omnem poſteritatem me-
rebimini gloriam. Hic poſtquā
menſibus aliquot legati à Late
re munus in Scotia obiuiſſet,
magnam

Digitized by Google

magnam Pontifici,aliiſque Catholicis principibus ſpem retulit manſurā conſtanter, vt ſemper fecerat, Catholicam Scotiam: atque vt dictis faceret fidem, multa de Procerum humanitate, multa de Reginæ infantis indole,quam piiſſima Mater ad omnem virtutem efformatura erat, optimus Præſul diſſeruit. Flagrauit interea cū ciuilibus inter Lenoxium,& Gubernatorem, tum externis Anglorum armis vario exitu quādiu Henricus vixit miſera Scotia, nec vllius Principis maioribus periculis, & anguſtiis, quam Mariæ ſeptam legimus infantiam. Quare nemini mirū videri debet, ſi adulta Conſtanti ſupra ſexum animo aduerſos caſus tulerit, à quibus, nec in ipſis cunabulis, quæ aliis ſecuritatem adferunt, & quietem, libera fuit. Extincto Henrico,

ceſſa-

Digitized by Google

ceſſatura bella ſperabantur, ve rum ab Angliæ Protectore, qui Eduardi tutelam ſuſceperat, crudelius multo, quam antea exarſere. Maria itaque Guiſia, cum afflictas valde Scotorum vires, & ad hoſtium iniurias po pularium accedere perfidiam cerneret, ex Gubernatoris, & aliorum procerum ſententia Reginam quartum ætatis annum agentem in inſulam Inchmahom deducit, vt inde quẽlibet rerum exitum tuta ſpectaret: ibi factum ad omnia Mariæ ingenium primis Catholicę fidei rudimentis, aliiſque Principe dignis virtutibus excoluit Parens, nil ocio, nihil inanibus, & ludicris oblectationibus, aut temporis, aut loci reliquum ſinens; in claro illo tyrocinio pa trio idiomati, quod optimè iam tum callebat, latinum, & Gallicum, nonnullaque Italici

&

Digitized by Google

& Hiſpanici fundamenta adiecit, quæ adeo creſcentibus annis perpoliuit, vt in ſingulis multos, in omnibus cunctos, quos in regia habebat, facile ſuperaret. nec hoc ipſi arduum fuit, cui tam eximia indoles obtigit, vt non ſolam auidè, & celeriter arriperet, quæ proponebantur, ſed conſtanter etiam retineret, excellenterque pronunciaret. Quamuis in inſula Reginam manere ſcirent Angli, nullam tamen ab armis reſpirandi facultatem concedebant Scotis, ſed crebras, & graues impreſſiones iterãdo nullo negotio regios oppreſſiſsẽt, niſi ſtrenuo milite Gallus laborantibus ſuppetias tuliſſet; quæ res adeo procerum noſtrorum animos deuinxit, vt in publicis Comitiis Edinburgi habitis Mariam non alteri, quam Galliæ Delphino deſpondendam decre-

Digitized by Google

decreuerint. Is erat Franciſcus eius poſtea nominis ſecundus: quo intellecto, Henricus eius pater, licet nihil præter optimam ſpem, quam de Scotorum erga ſe filiumque voluntate conceperat, accidiſſe diceret, pro rerum tamen ſtatu, & ratione tumultuum, quibus gens illa diſtrahebatur, ſummo ſe beneficio non tam ab hominibus, quam ab immortali Deo affectum confitebatur. Legatum primo quoque tempore in Scotiam mittit, qui Reginæ in primis, reliquiſque nobilibus maximam, quam ex nupera eorum legatione acceperat, voluptatem renunciaret, peteretq; vt, ſi viſum foret, Maria non alterius, quam ipſius fidei crederetur. Acquieuit iuſtiſſimæ Henrici petitioni quiſquis ſaluam Reginam, externiſque Bellis liberam cupiebat patriam.

nec

Digitized by Google

nec proferenda res videbatur. Vilgagnonus claſſis Gallicanæ, quç inScotiam accerſitum Mariam venerat, præfectus, vt hoſtium conatus melius eluderet lytho ſoluens in Galliam profectionem iterque ſimulat, tanquam ſi Reginæ deductio in aliud tempus eſſet differenda, mox vbi ſecundo vento omniũ effugit oculos, curſum Dumbritonum inflexit, hic enim Regina commorabatur, quæ licet ſex tantum annorum eſſet, conſtantiſſime à Matris amplexibus, quam vnicè diligebat, auelli ſe paſſa eſt, & quamuis ipſa vbertim fleret, parentis lacrimas ijſdem, quibus illa diſceſſum ſuaſerat, rationibus eſt conſolata. Nauibus igitur cum lectiſſimis aliquot Proceribus, & clariſſimis ex primaria nobilitate virginibus alacriter conſcenſis, iter quidem ſine dã-

no.

Digitized by Google

no, non tamen abſque metu, & periculc confecerunt, cui armata claſſe inſidiabantur Angli, paucis tandem poſtquam ſoluerant diebus, Briſtorum Britanniȩ Armoricæ portum naues ſuas appulerunt: nec elapſam ſibi prædam hoſtes prius intellexerunt, quam de Felici eius in Galliam aduentu, non ſine ingenti dolore audiuere. Briſtoo cum nobili tam ſuorum, quam Gallorum comitatu profecta Lai in Regia S. Germani Henrici regis preſtolata eſt congreſſum, quo ille compoſitis, quibus implicabatur, motibus, adueniens, eam comiter, ac honorifice complexus ſaluã in Galliam veniſſe gratulatus eſt. Et quia nec ipſa uiro matura, nec Delphinus par coniugi ob teneros vtriuſque annos habebatur, delata quidem matrimonij copula, Mariæ tamen

ſic

ſic proſpectum eſt educationi, vt nihil Reginæ ad ſplendorem aut regiæ nurui ad amorem deſideratum ſit; ita raram eius indolem, cui natura benefica, & liberali manu quicquid potuit conceſſit, & matris curam, quæ omnium virtutum ſemina in tenero pectore iecit, pluſquā paterno affectu ornauit Henricus, cui propoſitum erat Mariæ pueritiam omnibus iis rebus, quibus ſexus ille impertiri debet, erudire, ſibique nurum, & filio coniugem non qualis eſſet, quod aliis pleriſque contigit, ſed qualem ipſe exoptaret, & Gallia laudaret, efformare. Poſtquā in aula dies aliquot cum Rege, & Regina, qui dulci puellæ conſortio animum explere vix poterant, fuiſſet commorata, ad Monaſterium Virginum, quæ omnes ex prima Galliæ nobilitate ſunt, dedu-

Digitized by Google

deducta tanto manendi deſiderio, & voluptate cum iis verſabatur, vt ad monaſticam vitam nata videretur. Hic pietatem, cuius ab ipſa infantia ſtudioſa fuit, ita coluit, vt inſignia per totam deinde vitam retulerit commoda. Dei genetricem, cui ſacer erat locus ille, adeo ſibi aſſiduis obſequiis facilem propitiamque fecit, vt pręſentem eius opem in omnibus periculis haud dubie experta fuerit: quidquid denique à Religioſis illis virginibus ad vitæ inſtitutionem, morumque ſecundum virtutis normam efformationem, verbo aut exemplo agebatur, id illa tanta diligentia arripiebat, ac tanta exprimebat facilitate, vt admirationem cum ðis pareret, æqualibus tacitam emulationem. Dum monaſticis hiſce exercitiis, pluſquam regię dignitati conceſſum erat non-

Digitized by Google

nonnullorum iudicio ſe dederet, ac propterea vt inde digrederetur eſſet monita, paruit quidem ſoceri conſilio, ita tamen, vt non ſine dolore, ac lacrimis angelicum illum cœtum liquerit. In aulam redux earum oblectabatur conſuetudine, quæ inſigni aliqua virtutis prærogatiua præcæteris eminebant. Regina Henrici coniux, cui non minus quam genetrici chara erat, nimiam ſępe in ea modeſtiam dulci aliqua reprehenſione caſtigans, hortabatur, vt relicto nonnunquam matronarum contubernio (quo illa ob fructum, quem ex eo referre ſe dicebat mirum quantum delectabitur) liberius in æqualium Virginum conſortio tempus conſumeret, quod Maria tanta humanitate præſtitit, vt neſcires, cui ætati gratior eſſet, æquali-
bus

Digitized by Google

libus enim communis, & matronarum grauitati par fuit. Nec probitatis tantum, & verecundiæ, ſed, & diligentiæ laude excelluit. Verum prius quam ad ſingula deſcendamus, eadem nobis lectoribus præcipienda videntur, quę diſſertiſſimus Nepos in vita Epaminondæ præcipit, *ne alienos mores ad ſuos referant*, neue ea in regijs virtutibus poni mirentur, quæ mediocris conditionis hominibus vitio eſſent. In optimis quibuſque Europæ linguis perdiſcendis plurimum ſtudij locabat, tanta autem erat ſuauitas ſermonis Gallici, vt in eo facunda doctiſſimorum iudicio haberetur, nec Hiſpanicum, aut Italicum neglexit, quibus ad vſum magis, quam ad oſtentationem, aut volubilitatem vtebatur, latinum intelligebat melius, quam efferebat; ad poeti-

tempus aſſignabat, quod reliquum erat in Gynæceo inter matronas, ancillaſque lucubrantes tranſigebat, aut texẽs, aut acu pingens, variæ adhuc in Gallia ab ea miro artificio elaboratæ operæ cernuntur, quas Diuum altaribus ſacrauit, in eo potiſſimum monaſterio, in quo poſt recentem in regnum illud appulſum enutrita fuit. Inter inſignia hæc tyrocinij virginalis exercitia Maria Guiſia, quæ magno viſendæ filię ardebat deſiderio, multis comitata proceribus in Galliam venit, ac poſtquam Henricum Regem Rotomagi tum forte degentem ſalutaſſet (à quo non ipſa modo, ſed, & quos ſecum aduexerat nobiles, magnis honoribus, beneficijſque affecti ſunt) ad filiam vbi acceſſit, tanta voluptate perfundi viſa eſt, vt lacrimis prę gau-

Digitized by Google

dio egre temperarit, non tam quod ſaluam incolumemq. cerneret, quam quod ſupra ætatẽ omni virtute conſpicuam, ac non mediocriter eo nomine Regi, Reginæque gratam intelligeret. neque minorem letitiam Hunthlæus Comes, alijq. quos ſecum adduxerat Regina Mater de eximia Mariæ benignitate retulere: quæ nec Parentis, nec amicorum aduentu, quamuis plurimum eorum aſpectu recrearetur, vllum immoderatioris gaudij ſignum, aut vultu, aut ore prodidit; quos vbi de Scotiæ rebus quædam interrogaſſet, eædemne, quæ prius inter dynaſtas, & familiarum capita vigerent diſcordiæ, pergerent moleſti eſſe Angli, num quidquam circa diuinum cultũ immutatum? cæterum commendare ſe cunctis, vt paci, & quieti publicæ ſtuderent, genetricis

tricis ſuæ dictis obedirent, tum rogare, vt religionem catholicam omni conatu defenderent, nec vllam innouationem, quæ à Chriſti Vicario damnaretur, ad mitterent. Mox de Gallorum erga Scotos amore, & beneuolentia agere cepit, de obſequijs ſibi à Sereniſſimis Rege, & Regina præſtitis, de Principum humanitate, populi ſtudio, deq. ijs omnibus, quæ ad Scotorum in Gallos voluntates Conciliandas conducere poterant, tanta autem prudentia, & moderatione ſingula tractauit, vt mirarentur qui aderant. Sub idem fere tempus Eduardus Angliæ Rex nullam ſibi cum Maria nuptiarum ſpem reliquã eſſe autumans legatos in Galliam miſit, qui Regis filiam ſibi in matrimonium poſcerent; legationis Princeps erat Northamptoniæ Marchio, qui poſt-

Digitized by Google

quam Galli voluntatem renunciaſſet, tam appoſita de Mariæ indole, corporis forma, animi dotibus, rariſque virtutibus ſubiunxit, vt Eduardus, Angliæque Princepis, poſt habita quam Henrico obſtrinxerāt fide, cum Guiſia dum in Scotiam rediret omni ratione egerint, vt filiam quibus illa, Scotique vellent cō ditionibus Regi darent: quorum blanda, & ad perſuadendum compoſita oratio muliebrem forte animum flexiſſet, niſi in Gallorum iam poteſtate, & ſententia fuiſſet Maria. Duodecimo ætatis anno curatores de more elegit Henricum Galliæ Regem, Carolum Lotharingiæ Cardinalem, & Guiſiæ Ducem, quibus non aliud commendauit, quam vt curarent nequid detrimenti apud Scotos Catholica fides caperet, cætera pro ſua adminiſtrarent prudentia.

Digitized by Google

Hi cum grauiſſimis omnes diſtinerentur negotijs, ne in Scotiam ob imminentia rebus ſuis diſcrimina ire poſſent, vices ſuas Mariæ Guiſiæ delegarunt, quæ Regentis munus, nomenq. quãdiu ſuperſtes fuit obtinuit. Mortuus eſt circa hęc Eduardus Angliæ Rex, in cuius locum Maria Henrici, ex Catherina Hiſpana filia ſucceſſit huius nuptiæ cum Philippo Hiſpaniarũ Principe magnã vniuerſæ Reip. Chriſtianæ voluptatem attuliſſent, niſi Angli in Scotos fortiores, & Hiſpani in Gallos vehementiores, coaleſcentibus duorum potentium regnorum viribus, effecti, bellorum occaſiones quæſiuiſſent; quibus frangi nonnihil ſuos cum videret Henricus, intelligeretq. vocatos ex Germania ad inficiendam Scotiam (quo nobilium quorundam ſeditio Religionis

prætextu velaretur) Cacangelij miniſtros,ne vllus inter Scotos,& Gallos amicitiæ violendæ daretur locus , ſed quam arctiſſimo inter ſe fædere,vt olim viuerent, matrimonium Galliæ Delfini cum Scotiæ Regina accelerandum iudicauit, quam ob rem miſſis adRegentem proceresque litteris amoris,ac beneuolentiæ pleniſſimis impetrauit , vt ex publico trium ordinum aſſenſu delegarentur , qui totius Scotici Regni nomine deſponſationi intereſſent ; ſolemnia in æde Dei Genetrici ſacra Pariſiis ſecundum Catholicæ eccleſiæ ritum, ſua,quæ agebātur, præſentia honeſtantibus Galliæ Rege Reginaque non ſine magno nobilium vtriuſque ſexus concurſu , coram frequētiſſimo legatorum conuentu fuerunt celebrata ; quibus peractis ſponſa Delphinum Scotiæ Re-

Digitized by Google

Regem prima ſalutauit, idem Reginæ exemplo Scotorum legati fecere, vtrique ab vniuerſo populo applauſu maximo cõclamatum; cuius fauorem ſponſæ liberalitas, ingentem pecuniæ ſummam in confertam multitudinem proijci curantis, auxit non parum. Neque prætereundum eſt, quod à pleriſque in Gallia obſeruatum, ac memoriȩ proditum, Mariam nouo hoc coniugij honore auctam nihil de priſtina erga Socerum, Socrumque obſeruantia, nihil de innata erga alios clementia prætermiſiſſe, eandem ſiquidem humanitatem, & modeſtiam, quæ virginitatem ornauerant non poſſe ætati reliquæ non ſummum eſſe ornamentum arbitrabatur. ijs porro exercitijs quibus iuuentutem inſtruxerat, non minore, quam vnquam ſtudio vacauit. maritum quamuis ætate ſibi rerũq. experien-

periena inferiorem cognoſceret, in omnia tamen conſilia aduocabat, nec quidquam eo inſcio vnquam eſt aggreſſa: hinc factum, vt ille non minus coniugi quam parenti deferret Grata fuit Henrico Regi Reginæque inſignis hæc animorum coniunctio, morumque ſimilitudo, quam ſingularis vtriuſq. prudentia; nihil ſibi in Regno adminiſtrando niſi quod rogabantur aſſumentium; comitabatur. Si Delphinum cum Patre abeſſe nonnunquam à coniuge accidiſſet, nunquam illa ſe à Reginæ latere diuelli patiebatur, cuius nutui ita obtemperabat, vt verba ſæpius præueniret. Interrogata ſemel à familiaribus, cur libenter cum Regina, quam ſtudioſius obſeruaret, nõ ita cũ aliis primariis feminis, quę ipsã vel Dominã colerẽt, verſarẽtur? quia, inquit, fidæ coniugis. & bonæ Principis officium à Regina, quæ

quæ errantem libere corripiet, facilius diſcere potero, quam ab aliis, quarum inanes, & falſæ laudes, vt bonum á malo dignoſcam nunquam ſinent. Id quoque in maximis beneficiis ponebat, qnod viua Regina, quam morum ſuorum magiſtrā vocabat, ſibi in Galliam venire obtigerit, maritum etiam fœlicem dicebat, quod Patrem ſuū videret regnantem. Verum quā caduca ſit humana proſperitas, quamque fallax, quæ in Deo non ponitur futurorum ſpes, quod ſupereſt vitæ huius facile demonſtrabit. Allatæ primum ex Scotia literæ, quibus Mariæ nunciabatur hæreſim magnā illi Populo ruinā portēdere: mox alię additæ, quæ maximūPrincipi orthodoxę veritatis ſtudioſiſſimæ dolorē attulere; ferebatur quippe reduces aliquos ex Germania Lutheri aſſeclas Populos Principibus, clero libertatem

non ſolum conſcientiæ, ſed & morum annunciaſſe: quare plebem in Magiſtratus ſeditioſe, proceres in Religioſos contumelioſe, Eccleſiaſticos in Deum ſacrilegè agere cepiſſe. Ad hęc Iacobus Stuartus Iacobi V. Nothus, quem id vnicè cupientem Diuino cultui deuouerat Pater ac S. Andreæ tunc temporis prior reiecto cucullo, Morauiæ comitatum ambire, miſſo ad Reginam tabellario agreſſus eſt, & quia repulſam paſſus Regni ſtatum omni ratione concutere adlaborauit, nec ab incepto prius diſtitit, quam vna cū Argadiæ Comite, aliiſque nobilibus altaria plurima, ædeſque ſacras profanaſſet, imagines combuſiſſet, monaſteria euertiſſet, talia denique perpetraſſet, ad quæ patranda nec Scytha, nec Gothus, nec vllus in extrema natus barbarie facile animum induxerit. Ad impias haſce

Digitized by Google

ſce viri perditiſſimi machinationes acceſſit vicinum ex Anglia ſubſidium : nam ſublata è viuis Maria Catherinæ filia, Eliſabetha ex adulterino, & infando Henrici cum Anna Bolena concubitu procreata, regnũ illud inuaſit, quæ quod nullum à Catholicis Principibus iuſtitiæ quippe ſtudioſis ad impietatem ſuam excuſandam ſperaret auxilium, ad hæreticorum partes, quos pronos ad omne nefas ſciebat, tranſiens, crudelius longe Angliam, quam Nothus, cui regia poteſtas deerat, Scotiã percuſſit. quã nefãda (bone Deus) Principes extra legitimum thorum procreant monſtra, quorum eo periculoſior eſt libido, quo potentior; & certè vt multarum gentium teſtantur annales, Spuria, & Nothus duas præſtantiſſimas S. Romanæ Eccleſiæ prouincias acer-

Digitized by Google

acerbius vaſtarunt, quam ſi vniuerſa barbarorum eluuies eas inundaſſet. Hęc vt accepit Rex Chriſtianiſſimus Mariæ Stuartæ nurui ſuæ, licet ob innatam ſibi modeſtiam multum abnuenti, perſuaſit, vt Angliæ, & Hyberniæ titulos, & inſignia, quæ ab aliis principibus ipſi tanquam vere heredi ſponte deferebantur, admitteret. Quare cum tota in eo eſſet Eliſabetha vt Angliæ Regnum nullo iure occupatum per fas nefaſque tutaretur, arctiſſimum cum Notho fœdus iniit, quo Scotorum, qui Mariæ fauebant, Gallorumque vires certius labefactaret. Maria interim cum in dies eorum, quæ in Scotia gerebantur fieret certior, nihil prætermittebat, quod vel piam, vel ſedulam deceret Principem. crebris per totam Galliam ſacrificijs, & orationibus diuinam iram leni-

Digitized by Google

lenire, ſocerũm quamdiu vixit, & eo mortuo Franciſcum coniugem ad copias Scotis ſubmittendas hortari non deſtitit. litteras præterea tam ipſa quam maritus humanitate plenas, vt paci ſtuderet ad Nothum dedere, quæ tales fuere vt cuiuſuis animum flectere, ſi excucullatum Nothum dempſeris, potuiſſent: qui licet omnia ex Reginæ ſententia facturum ſe promitteret, fidem tamen fœde violare nihil penſi habuit. Non minor fuit Argadiæ in Gallia tum degentis perfidia; huius partes erant, Scotos, qui ibi tum morabantur ad defectionem incitare, nec operam luſit, nam Araniæ Comitem militum Tribunum eo inſaniæ perduxit, vt relicta Pariſienſi aula Geneuam omnium ſordium commune receptaculum ſe receperit; alios inſuper non infimæ conditionis ho-

Digitized by Google

homines ad candē dementiam incitauit. Transfugæ omnes ad Eliſabetham ibant, quæ clam tantum initio eorum conatibus fauere viſa eſt, verum vbi de rebellium numero, & conditione plenius cognouit, tot, ac tales eſſe, vt non ſolum de ijs bene ſperare, ſed & confidere poſſet, fœdus cum illis percutit, claſſem in Forthæ æſtuario collocat, tandemq. exercitum ſubmittit, quem vario quidem euē tu, ſed animis maximis ad pugnam coegerunt plus ſemel Regij, pro quibus victoria non parum ſæpe ſtetit. Inter hos tumultus Maria Guiſia Reginæ Mater, cuius humeris totum Reip. Scoticæ pondus incumbebat, ſummo bonorum dolore moritur, Princeps ſanè dum viueret prudens, & ad omnia nata, quæ tanta diligentia Scotorum rebus pręfuit, vt miſſo ad

filiam,

Digitized by Google

filiam, antequam è uiuis migraret, libro cunctorum ei Procerum mores, & ſtudia aperuerit, qua quiſque fide, & obſeruantia in Deum qua in Patriã & Reginam charitate eſſet. Grauiter quidem pro ſua in Matrẽ pietate caſum hunc tulit Maria, cuius dolorem impotens Sectariorum furor breui auxit: Nam Epiſcopos ſedibus ſuis eiicere, Eccleſiæ paſtoribus Sacramentorum adminiſtrationẽ interdicere, reditus denique ſacerdotum in profanos vſus auſu impio diſtribuere agreſſi, nihil diuini, humaniue iuris intactum reliquerunt. Cum armis ſuos nihil proficere ob crebras, quæ ex Anglia mittebantur in rebellium ſubſidium, copias, videret Regina, maritumque ciuilibus turbis implicitum, quo minus Scotis ſubueniat impediri, paci ſtudendum rata, tandem

Digitized by Google

effecit, vt Scotia extero milite liberaretur. vix à publicis miſeriis reſpirandi tempus conceſſum erat, cum Franciſci Regis inopinata mors piam coniugis animam grauiſſimo vulnere confecit. Funus hoc communibus boni omnes lachrimis extulere, quod iuuenis fuerit, à quo plurima meritò ſperanda videbantur. Dum morti proximus eſſet, ac in ipſo tranſitus confinio verſaretur, egregium Mariæ teſtimonium, ob regias virtutes exhibuit, quam matri vt filiam, fratri, vt ſororem commendauit. Verum illa, cui nihil in aula; ſublato marito, quod ſupplicii loco non eſſet, occurrebat, Rhemos, vt priuato aliquantulum indulgeret mœrori profecta, totã ibi hyemẽ ſubſtitit, vere primo in Lotharingiam, & Ianuillam diuertens, cum conſanguineis, &

Digitized by Google

amicis de ſuo in Scotiam regrediendi conſilio prudenter egit; in quod pii Principes ſe operamque ſuam prolixe obtulerint. Inaudierant de Franciſci morte, Reginæq. voluntate Scotiæ Nobiles: quare Nothus, cuius maxima auctoritate factum, vt regnum in diuerſa Studia traheretur, præmuniendum dolo Mariæ animum ratus, in Angliam primum ad Eliſabetham, mox in Galliam omni nequitia, artibuſque ad fallendum inſtructiſſimus traiecit; ſed impia viri conſilia prudentia, & celeritate præuenit Ioannes Leſlæns à Catholicis ad Principem deſtinatus. Hic de Nothi aduentu Reginæ expoſuit, quæ ferret, quæ intenderet, admonens nullam ei fidem habendam, qui Religionem apud Scotos euertere, rerumque ſummam in ſe transferre moliretur: quod ſi intacta

omnia

Digitized by Google

omnia,ſaluamq. ſe cuperet,eum in Gallia detinendum curaret, vel ſi minus hoc placeret,in Italiam , aut Hiſpaniam mitteret Oratorem. Hæc omnia Regina laudauit quidem,& facile,quod rogabatur effeciſſet, niſi ſuperueniens Nothus inanibus blanditijs optimam Principis mentem a ſano remedio alienaſſet. Hic dicendi iuxta, ac mentiendi gnarus multa de præſenti apud noſtrates rerum conditione,ſtatuq.nec ſine veritatis aliquo colore retulit. *abſentiam Principis, & Gallicam militis licentiam, aliquibus, vt arma ſumerent,neceſſitatē feciſſe, quæ eoſdem ad Reginæ pedes, quam primum in Scotiam reuertere-tur,depoſituros affirmabat; quare redieret ad ſuos,non præſidio non milite opus, plus apud bonos ſubditos amorem valere, quam timorem;leues eſſe de Religio-*

ligione contentiones, nec Scotos publico in Romanam ſedem odio, ſed priuatis in præſules nonnullos inimicitijs vrgeri: Effecturum ſe breui, vt omnes depoſitis ſimultatibus veritati ſubſcriberent, ſuuſque eccleſiis decor redderetur: ad hæc plus diſſimulationem pro tempore, & contemptum, quam ſeueram inquiſitionem valere: ſe in hæreticorum nonnunquam ſocietate, in ſenſu nũquam fuiſſe. quod ſi armis initio abſtinuiſſent Catholici, hæreſim ſponte ſua in nihilum abituram; multa de ſua in Reginam fide, & amore, plurima de charitate in populares ſubiecit, *Se quidem religioſum habitum non alio fine depoſuiſſe, quam vt ruentem in perniciem cohiberet multitudinem, proceribuſq. quid ex occaſione faciendum exemplo doceret ſuo quos nimius Mariæ* Regentis

in

*in Gallos affectus plurimum of-
fenderat; dum illi ſoli conſiliis
regni adhiberentur, vrbanas
præfecturas, aliaque munia ſor
tirentur, quos non ætas non
vlla Scoticarum rerum expe-
rientia commendabat; Anglos
in Scotiam non ad hæreſim de-
fendendam, aut quidquam con-
tra regiam auctoritatem, quam
Sacram vſque Scoti vellent,
ſtabiliendum, ſed ad nobilium
iura ab impotenti Gallorum
imperio tutanda vocatos fuiſſe*
Hiſce, atque id genus alijs pre-
terita excuſando, omittendo
pręſentia, de futuris optimam
ſpem faciebat: quibus fidem
præbens Regina (facile enim
mortales ea, quæ volũt, credũt)
laudare pium eius animum, in-
cuſare rebellionis auctores, ad
pacis, & Religionis potiſſimũ
curam hortari, dona præterea
ipſi pro egregia nauata opera
adij-

ed by Google

adiicere, maiora poſt ſuam in patriam reditum promiſſa. Confecto itaque ex ſententia negotio, properat in Scotiam reuerti Nothus, vt cuncta ad Reginę voluntatem, ante quam ipſa regrederetur, diſponeret; nec ſimplicibus tantum mulieribus, ſed & viris omni ſapientia prædítis, hanc ineſpectatæ remigrationis cauſam eſſe perſuaſit, cũ aliam longe fuiſſe, & eius per Angliam reditus, & inſequens rerum euentus docuerit. Regina interim, quamuis multos dies componendo animo inſumpſiſſet. Nanceiumq. Lotharingiæ Ducum aulam profecta amicorum ſolatia admiſiſſet, luctus tamen violentia abſumpta, & præteritorum dolorum veſtigijs oppreſſa, in febrim incidit, quæ tertio quoque die reuertitur, maioremq. ægrotis moleſtiam, quam periculum creare ſolet,

Digitized by Google

ſolet :quam ob rem Ianuillam ad amitam, vndeq; digreſſa fuerat, rediit. vbi cum valetudini ſatis vacaſſet, Rhemos primum ſtatimque his relictis Lutetiam Pariſiorum contendit. Venientem Carolus Rex, aliiq. proceres per aliquot paſſuum millia obuiam progreſſi, magna comitate ſuſceperunt: ingredientem ciuitatem fauſtæ Populi acclamationes ad Regiam proſequutæ, nec Reginæ ſtudium in nurum deſideratum, nullis tamen officiis induci potuit Maria, vt reditum in Scotiam differret, niſi quantum ad Anglorum Oratorem audiendum neceſſariũ fuit; is erat Belfordius Comes ab Eliſabetha ad Mariam conueniendam miſſus; qui multis de Reginæ ſuæ erga eam obſequio, eximiaque in totam Scotorum gentem propenſione diſſeruit; mox petere, vt pacem in

Digitized by Google

ter Scotos, & Anglos ſtabiliri, pactaſq; ad Leythū conditiones confirmari velit. Cui Maria non aliud, quàm cogitaturam ſe, & cum Regni ſtatibus, vbi in Scotiam veniſſet, deliberaturam reſpondit; nihil prætermiſſura, quod Eliſabethæ gratum, ac vtriq; Regno ſalutare iudicari poſſet. Antequam Pariſijs diſcederet, quoſdam reditibus ſibi dotis nomine aſſignatis præfecit, fędusquè cum Gallis in perpetuum redintegrauit. Abeuntem Carolus Rex, Regis Mater, Andegauenſium dux, Nauarrę Rex, ac alij multi Principes viri ad S.Germani Palatium deduxere: Inde ſex ipſius Auunculi Caletum comitati, quorum duo magni nominis Cardinales Lotharingius, & Guiſius, Duces totidem Guiſius, & Ammulius, Magnus Franciæ prior, & Albuſius Marchio, hiſce ſe ingens pa

Digitized by Google

rium turba adiunxit. Calero Cardinales, & Guiſius ſoluenti valedixere; reliqui conſcenſis nauibus, vna cum Regina Leythum celebrem Scotici littoris portũ aduehuntur. Quinque tantum in vniuerſum habebat naues: nec plures admittere vllis precibus voluit, ne exercitus ſpeciem Notho prębeRet, cuius dictis plus æquo parens, omnium amicorum, quibus ille probe cognitus erat, offenſionem meruit. Sexto poſtquam Gallias liquerat die claſſis ex Edinburgenſi caſtro proſpectantibus, nec numero, nec mole ſatis comperta e longinquo apparere cepit; hinc varius in vulgus rumor emanauit; verum vbi paulatim ſucceſſit, vexilla ex malis aduentare Reginam, gratum omnibus nuncium prodidere; ex agris, ex tectis effuſa exultantium turba portum, & ma-

& maris proxima complet: ibi clamore diſſono, ſed concordi lætitia propinquantem ſalutauere vniuerſi, egreſſam proceres qui forte aderant, vna cum ciuibus Edinburgenſibus ad Regiam, cui S. Crux nomen dedit, lectica deduxere. interim aduentu eius audito, ſpectatiſſimus quiſque nobilium, & pleriqne Vrbium Præfecti, Moderatores Prouinciarum, Edinburgum ruere, felicem Reginæ reditum gratulari. videre erat ſupra cætera pia Catholicorũ, Eccleſiaſticorum præſertim in Principem, quam illatarum ſibi iniuriarum vindicem ſperabant, deſideria; nec deerat in ſpeciem Nothus, cui ex nimia Mariæ indulgentia Morauiæ Comitatus iam datus; quo ille non minus quam alijs beneficijs ad fidem, Reginamq. opprimendam vtebatur. Indictus tandem

Digitized by Google

dem Edinburgi Conuentus; vt aliquid in afflicti Regni commodum ſtatueretur; in quo ſupremam poteſtatem arrogans Nothus vetuit, ne quis ex Clero adeſſe animum induceret. verebatur enim ne miſera Religionis Conditio Reginæ innoteſceret, quam ipſe omni ratione celare conabatur, optima mentiendo. conuentum hunc celebrem reddidit enorme decretum, quo omnis circa Religionem innouatio prohibita, vtq. res in eodem ſtatu manerent, quo fuerant ante Reginę aduẽtum. Sententiæ huic non ſine maximi erroris nota ſubſcripſit Regina; quæ ignorare non poterat eiectos ſuis ſedibus antiſtites nonnullos, vagariq. paſſim plus quam canina rabie efferatos ſectarios. Neſcio leuiorem, grauioremne in ea culpã efficiat; quod ſeſe præſulũ orth-

th-

Digitized by Google

thodoxorum ſocietate, & conſi
lio, vt Notho impio ſatisface-
ret, exemplo non imitando,
priuauerit; tempori nonnunquã
ſeruire non infima apud prudẽ-
tes laus eſt, verum nihil vnquã
impietati tribuendum, commu
nis ſapientum, & piorum ſanxit
aſſenſus; quę non aliter, quàm
vipera matrem, fautorem petit.
Dati ſunt præterea Reginæ à
Cõſilijs duodecim viri nobiles;
his additus Nothus, qui regia
auctoritate cuncta adminiſtra-
re, & publicas hæreticorum cũ
Catholicis diſputationes foue-
re non deſtitit, quoad Knoxius
quidam omni ſcelere contami-
natiſſimus Quintini Kennedi
Præſulis optimi grauitati, &
doctrinę ſe ſe imparem videns,
ea ſpargere ceperit, quæ vul-
gus ad libertatem ſuam armis
deficiente ratione tutandam
mouerent; idem optimates in
[illegible] Regi-

Google

Digitized by Google

effecit, vt Scotia extero milite liberaretur. vix à publicis miſeriis reſpirandi tempus conceſſum erat, cum Franciſci Regis inopinata mors piam coniugis animam grauiſſimo vulnere confecit. Funus hoc communibus boni omnes lachrimis extulere, quod iuuenis fuerit, à quo plurima meritò ſperanda videbantur. Dum morti proximus eſſet, ac in ipſo tranſitus confinio verſaretur, egregium Mariæ teſtimonium, ob regias virtutes exhibuit, quam matri vt filiam, fratri, vt ſororem commendauit. Verum illa, cui nihil in aula, ſublato marito, quod ſupplicii loco non eſſet, occurrebat, Rhemos, vt priuato aliquantulum indulgeret mœrori profecta, totâ ibi hyemẽ ſubſtitit, vere primo in Lotharingiam, & Ianuillam diuertens, cum conſanguineis, &

amícis

Digitized by Google

amicis de ſuo in Scotiam regrediendi conſilio prudenter egit; in quod pii Principes ſe operamque ſuam prolixe obtulerunt. Inaudierant de Franciſci morte, Reginæq; voluntate Scotiæ Nobiles: quare Nothus, cuius maxima auctoritate factum, vt regnum in diuerſa Studia traheretur, præmuniendum dolo Mariæ animum ratus, in Angliam primum ad Eliſabetham, mox in Galliam omni nequitia, artibuſque ad fallendum inſtructiſſimus traiecit; ſed impia viri conſilia prudentia, & celeritate præuenit Ioannes Leſlæus à Catholicis ad Principem deſtinatus. Hic de Nothi aduentu Reginæ expoſuit, quæ ferret, quæ intenderet, admonens nullam ei fidem habendam, qui Religionem apud Scotos euertere, rerumque ſummam in ſe transferre moliretur: quod ſi intacta

omnia

Digitized by Google

omnia, ſaluamq. ſe cuperet, eum in Gallia detinendum curaret, vel ſi minus hoc placeret, in Italiam, aut Hiſpaniam mitteret Oratorem. Hæc omnia Regina laudauit quidem, & facile, quod rogabatur effeciſſet, niſi ſuperueniens Nothus inanibus blanditijs optimam Principis mentem a ſano remedio alienaſſet. Hic dicendi iuxta, ac mentiendi gnarus multa de præſenti apud noſtrates rerum conditione, ſtatuq. nec ſine veritatis aliquo colore retulit. *abſentiam Principis, & Gallicam militis licentiam, aliquibus, vt arma ſumerent, neceſſitatē feciſſe, quæ eoſdem ad Reginæ pedes, quam primum in Scotiam reuerteretur, depoſituros affirmabat; quare redieret ad ſuos, non præſidio non milite opus, plus apud bonos ſubditos amorem valere, quam timorem; leues eſſe de Religio-*

ligione contentiones, nec Scotos publico in Romanam ſedem odio, ſed priuatis in præſules nonnullos inimicitijs vrgeri: Effecturum ſe breuì, vt omnes depoſitis ſimultatibus veritati ſubſcriberent, ſuuſque eccleſiis decor redderetur: ad hæc plus diſſimulationem pro tempore, & contemptum, quam ſeueram inquiſitionem valere: ſe in hæreticorum nonnunquam ſocietate, in ſenſu nūquam fuiſſe. quod ſi armis initio abſtinuiſſent Catholici, hæreſim ſponte ſua in nihilum abituram; multa de ſua in Reginam fide, & amore, plurima de charitate in populares ſubiecit, *Se quidem religioſum habitum non alio fine depoſuiſſe, quam vt ruentem in perniciem cohiberet multitudinem, proceribuſq. quid ex occaſione faciendum exemplo doceret ſuo:* quos nimius *Mariæ* Regentis

in

in Gallos affectus plurimum offenderat; dum illi ſoli conſiliis regni adhiberentur, vrbanas præfecturas, aliaque munia ſortirentur, quos non ætas non vlla Scoticarum rerum experientia commendabat; Anglos in Scotiam non ad hæreſim defendendam, aut quidquam contra regiam auctoritatem, quam Sacram vſque Scoti vellent, ſtabiliendum, ſed ad nobilium iura ab impotenti Gallorum imperio tutanda vocatos fuiſſe Hiſce, atque id genus alijs preterita excuſando, omittendo præſentia, de futuris optimam ſpem faciebat: quibus fidem prabens Regina (facile enim mortáles ea, quæ volũt, credũt) laudare pium eius animum, incuſare rebellionis auctores, ad pacis, & Religionis potiſſimũ curam hortari, dona præterea ipſi pro egregia nauata opera adij-

Digitized by Google

adiicere, maiora poſt ſuam in patriam reditum promiſſa. Confecto itaque ex ſententia negotio, properat in Scotiam reuerti Nothus, vt cuncta ad Reginę voluntatem, ante quam ipſa regrederetur, diſponeret; nec ſimplicibus tantum mulieribus, ſed & viris omni ſapientia præditis, hanc ineſpectatæ remigrationis cauſam eſſe perſuaſit, cũ aliam longe fuiſſe, & eius per Angliam reditus, & inſequens rerum euentus docuerit. Regina interim, quamuis multos dies componendo animo inſumpſiſſet. Nanceiumq. Lotharingiæ Ducum aulam profecta amicorum ſolatia admiſiſſet, luctus tamen violentia abſumpta, & præteritorum dolorum veſtigijs oppreſſa, in febrim incidit, quæ tertio quoque die reuertitur, maioremq. ægrotis moleſtiam, quam periculum creare
ſolet,

Digitized by Google

ſolet :quam ob rem Ianuillam ad amitam, vndeq; digreſſa fuerat, rediit. vbi cum valetudini ſatis vacaſſet, Rhemos primum ſtatimque his relictis Lutetiam Pariſiorum contendit. Venientem Carolus Rex, aliiq. proceres per aliquot paſſuum millia obuiam progreſſi, magna comitate ſuſceperunt: ingredientem ciuitatem fauſtæ Populi acclamationes ad Regiam proſequutæ, nec Reginæ ſtudium in nurum deſideratum, nullis tamen officiis induci potuit Maria, vt reditum in Scotiam differret, niſi quantum ad Anglorum Oratorem audiendum neceſſariũ fuit; is erat Belfordius Comes ab Eliſabetha ad Mariam conueniendam miſſus; qui multis de Reginæ ſuæ erga eam obſequio, eximiaque in totam Scotorum gentem propenſione diſſeruit; mox petere, vt pacem in

ter

Digitized by Google

ter Scotos, & Anglos ſtabiliri, pactaſq; ad Leythū conditiones confirmari velit. Cui Maria non aliud, quam cogitaturam ſe, & cum Regni ſtatibus, vbi in Scotiam veniſſet, deliberaturam reſpondit; nihil prætermiſſura, quod Eliſabethæ gratum, ac vtriq; Regno ſalutare indicari poſſet. Antequam Pariſijs diſcederet, quoſdam reditibus ſibi dotis nomine aſſignatis præfecit, ſedusquè cum Gallis in perpetuum redintegrauit. Abeuntem Carolus Rex, Regis Mater, Andegauenſium dux, Nauarrę Rex, ac alij multi Principes viri ad S. Germani Palatium deduxere: Inde ſex ipſius Auunculi Caletum comitati, quorum duo magni nominis Cardinales Lotharingius, & Guiſius, Duces totidem Guiſius, & Ammulius, Magnus Franciæ prior, & Albuſius Marchio, hiſce ſe ingens pa-

Digitized by Google

rium turba adiunxit. Caleto Cardinales, & Guiſius ſoluenti valedixere; reliqui conſcenſis nauibus, vna cum Regina Leythum celebrem Scotici littoris portū aduehuntur. Quinque tantum in vniuerſum habebat naues: nec plures admittere vllis precibus voluit, ne exercitus ſpeciem Notho præberet, cuius dictis plus æquo parens, omnium amicorum, quibus ille probe cognitus erat, offenſionem meruit. Sexto poſtquam Gallias liquerat die claſſis ex Edinburgenſi caſtro proſpectantibus, nec numero, nec mole ſatis comperta e longinquo apparere cepit; hinc varius in vulgus rumor emanauit; verum vbi paulatim ſucceſſit, vexilla ex malis aduentare Reginam, gratum omnibus nuncium prodidere; ex agris, ex tectis effuſa exultantium turba portum,

& ma-

& maris proxima complet : ibi clamore diſſono , ſed concordi lætitia propinquantem ſalutauere vniuerſi , egreſſam proceres qui forte aderant, vna cum ciuibus Edinburgenſibus ad Regiam,cui S. Crux nomen dedit, lectica deduxere . interim aduentu eius audito, ſpectatiſſimus quiſque nobilium, & pleriſque Vrbium Præfecti, Moderatores Prouinciarum , Edinburgum ruere, felicem Reginæ reditum gratulari . videre erat ſupra cætera pia Catholicorũ , Eccleſiaſticorum præſertim in Principem, quam illatarum ſibi iniuriarum vindicem ſperabant , deſideria ; nec deerat in ſpeciem Nothus , cui ex nimia Mariæ indulgentia Morauiæ Comitatus iam datus ; quo ille non minus quam alijs beneficijs ad fidem,Reginamq. opprimendam vtebatur. Indictus tan

Digitized by Google

dem Edinburgi Conuentus ; vt aliquid in afflicti Regni commodum ſtatueretur ; in quo ſupremam poteſtatem arrogans Nothus vetuit, ne quis ex Clero adeſſe animum induceret . verebatur enim ne miſera *R*eligionis Conditio Reginæ innoteſceret , quam ipſe omni ratione celare conabatur, optima mentiendo. conuentum hunc celebrem reddidit enorme decretum, quo omnis circa Religionem innouatio prohibita , vtq. res in eodem ſtatu manerent , quo fuerant ante Reginę aduētum . Sententiæ huic non ſine maximi erroris nota ſubſcripſit Regina ; quæ ignorare non poterat eiectos ſuis ſedibus antiſtites nonnullos, vagariq. paſſim plus quam canina rabie efferatos ſectarios. Neſcio leuiorem , grauioremne in ea culpā efficiat ; quod ſeſe præſulū or-

th-

thodoxorum ſocietate, & conſilio, vt Notho impio ſatisfaceret, exemplo non imitando, priuauerit; tempori nonnunquã ſeruire non infima apud prudẽtes laus eſt, verum nihil vnquã impietati tribuendum, communis ſapientum, & piorum ſanxit aſſenſus; quę non aliter, quàm vipera matrem, fautorem petit. Dati ſunt præterea Reginæ à Cõſilijs duodecim viri nobiles; his additus Nothus, qui regia auctoritate cũcta adminiſtrare, & publicas hæreticorum cũ Catholicis diſputationes fouere non deſtitit, quoad Knoxius quidam omni ſcelere contaminatiſſimus Quintini Kennedi Præſulis optimi grauitati, & doctrinę ſe ſe imparem videns, ea ſpargere ceperit, quæ vulgus ad libertatem ſuam armis deficiente ratione tutandam mouerent; idem optimates in [illegible] Regi-

Reginam procacius animare contendens, cuncta in eam, quæ inuidiam conflare poterant, pro ſubſellijs effutijt, quā non alio, quam Ieſabelis nomine compellans, Euangelij reformati remoram, idolatriæ fautricē, ſceptro iure priuari, ac Regno eiici poſſe dictitabat. Accēdebāt hæc magis ac magis impotentem Nothi ad Regnū inuadendum animum; ſed quia nihil contra Principem ſaluis nobilibus agere ſe poſſe videbat, eos quorum, vel arma, vel conſilia conatibus ſuis obfutura rebatur, fictis, apud Reginam doli neſciam, criminibus onuſtos, exilio, carcere, aut morte mulctabat, ſuadente potiſſimum Angla, à quà annuā impietatis ſuæ accipiebat mercedem. Maria interea cum nihil præter quietem publicam deſideraret, eamque ſe breui curaturum ſponderet Nothus,

ita

ita vt nullus per Scotiam tu-
multibus futurus eſſet locus,ſi-
cura , licet in maximis angu-
ſtijs degens nunquam infandis
Apoſtatę conatibus optima ſua
deſideria opponere tentauit ;
imò quod fidem ſuperat,aulam
omnibus Catholicis Presbyte-
ris , quos ille ſeditionum cau-
ſam mentiebatur, orbari permi
ſit,vnico tantum qui ſacramen-
ta clam adminiſtraret relicto ;
nec confugientes ad ſe Eccleſia
ſticos ad alium, quam hunc,
mittebat;quem hæreſim ſimula
re, non profiteri diu credidit ;
adeo prona eſt ad bona ſincera
mens. Nec regnum tantum ra-
pacis huius lupi crudelitatem
ingenuit. cum & ipſa regia ab
eadem immunis non eſſet;duos
ſiquidem ex Reginæ familiari-
bus , quos ſecum ex Gallia ad-
duxerat,ſatis leuem ob culpam
fruſtra Principis opem incla-

Digitized by Google

mantes ſuſpendio necari curauit; reliquos.qui fide aut virtute apud eam valebant, quoſque mores ſuos minus probare cernebat, eodem,aut non abſimili ſupplicij genere oppreſſurus, niſi eum á tam nefando ſcelere tacita omnium indignatio deteruiſſet. Nimia hæc Reginæ in adminiſtrando erga Nothũ facilitas,cuius cauſas ſupra retuli, Catholicis grauiſſima damna attulit: ab hæreticis vero, in quorum maxime vtilitatem redundabat, in peſſimam accepta eſt partẽ. *Mariam ſcilicet ut delitiis, & voluptatibus indulgeat Regni curam negligere,paruiq. ſuos præ exteris quibuſdam idololatris facere, cum quibus iucundius longe, quam cum his ageret; non eccleſias, non conciones, non vlla Chriſtiana Principe digna frequentare exercitia. quouſque tandem*

dem Scoti muliebre iugum patientur? ſexum illum vt nulli preclaro facinori æquum, ita fœdiſſimis ſuperſtitionibus pertinaciter obnoxium. Quotidiana hæc Miniſtrorum ad plebem ſermocinatio, multum ad eam cōtra Principem accendendam momenti habuit: de qua falſiſſimæ breui per Scotiam vniuerſam delatæ ſunt calumniæ; ad quas reprimendas, eorum quibus cognita erat Reginæ integritas ob paucitatem, non multum valebat auctoritas; maiores enim vires multorum opinio, quam verus paucorum conſenſus obtinet. Interea varij Europæ Principes fama pulcritudinis, virtutumq. Mariæ iam olim dum in Gallia eſſet capti, eius nuptias crebris legationibus ambibant, vrgereq. in primis Hiſpaniarum, & Suetiæ Reges tam eximiæ Principis vi

Digitized by Google

duitatem miſerti; quibus obnixe reſtitit Nothus, timens ne Scotiæ Regnum, quod ipſe iam ſibi certo promiſerat, e tenentis quaſi manibus eriperetur. quia vero ius omne ad Hamiltoniorum familiam proxime ſpectare ſciebat, grauiſſimas cum ea ſimultates exercere orſus, alios regni proceres in eandem ſecum inuidiam adducere laborauit; inter quos erat Liuiniæ Comes, qui tum temporis in Anglia extorris patria morabatur: vbi ducta vxore duos filios genuerat; quorum natu maximum Darlæi Dominum vndeuiginti annorum iuuenẽ non minus forma quam genere præſtantem, & quia Catholicũ nouerat Maria, ſuadente Notho, in coniugem accepit; qui vt multis placet, non ex animò, ſed vt eius mentem haberet exploratam, Reginæ hunc in

Mari-

Maritum propoſuit; veritus ſi perpetuam ei viduitatem conſuluiſſet, ſublatæ regiæ poſteritatis apud omnes inuidiam incurrere, vt vt ſe res habuit, cũ breui aut conſilii pęnituit, aut tæduit diſſimulationis. Nam renouato cum Angla fœdere, & duplicato ſtipendio cum audaciſſimo quoque Prædicantium agere, non alio ſpectare nuptias illas, quam vt Papiſta aſſumpto Rege reformatum Euangelium opprimeretur, ſpoliarenturque Eccleſiæ bonis nobiles. hiſce concitati, qui talibus potiebãtur, ad arma venere, aſſumpto Duce Notho, & poſt varias populationes, bellum tandem Reginæ, niſi Darlæus Regno deiiceretur, indixere. tum primum Mariam nimiæ ſuæ credulitatis pœnitere cepit. verum qua erat animi magnitudine prædita, ſero potius, quam

Digitized by Google

nunquam agendum rata, i iuſtū fere collegit exercitium, quo hoſtiū copias fundens fuganſq. fęlicem victoriam reportauit. Harū rerū accepto per eos qui in Angliam confugerant, nuncio Eliſabetha, dolorem, quem ex ſecundis Mariæ rebus capiebat ficta amicitiæ ſpecie celans Randolfum, & Baconum Cecilii dolis inſtructos in Scotiam legationis nomine miſit; hi comiter à Regina ſuſcepti rebellibus veniam, quod apud tantæ benignitatis Principem facillimum, impetrauere. Sunt qui ad hæc tempore ſecretas Eliſabethæ literas, & adamantem in duas æquales partes diuiſum perpetuæ in Mariam Charitatis monumentum referant; vt quam primum ſemiſſem ad ſe quacumque circumuenta neceſſitate miſſura eſſet, ſtatim ea viſa auxilio ſibi affuturam ſperaret,

Digitized by Google

raret. Maria contra nullius vnquam beneficio, aut humanitate victa, adamantem cordis effigie apprime ſculptum, annuloque inſigni artificio inſertum Eliſabethæ dono miſit, cum hiſce latinis melioris Poetę quam Chriſtiani verſibus.

Non me materies facit ſuperbum.
Quod ferro inſuperabilis, quod ignis;
Non candor macula carens, nitoris
Non lux perſpicui, nec ars magiſtri
Qui formam dedit hanc, loquaci
Circueſtiit eleganter auro:
Sed quod cor Dominæ meæ figuræ
Tam certa exprimo pectore vt recluſo
Cor ſi luminibus queat videri,
Cor non lumina certius viderent.
Sic conſtantia firma cordi vtrique
Sic candor macula carens, nitoris
Sic lux perſpicui, nihil doli intus
Celans, omnia denique æqua præter
Vnam duritiem; dein ſecundus
Hic gradus mihi ſortis eſt fauentis,
Talem Heroida quod videre ſperem
Qualem mihi ſpes nulla erat videndi
Antiqua Domina ſemel relicta,

Oſt

Oſi ſors mihi faxit vtriuſque
Nectam vt corda adamantina catena
Quam nec ſuſpicio, æmulatioue
Liuorue, aut odium aut ſenecta ſoluat.
Tam beatior omnibus lapillis
Tam ſim clarior omnibus lapillis
Tam ſim carior omnibus lapillis
Quam ſum durior omnibus lapillis.

Siue ſub primum Mariæ in Scotiam reditum, ſiue hoc ipſo tempore dona miſſa fuere, miſſa certe, & mutua, licet diſſimili fide, apud omnes conſtat; nam Eliſabethæ legati aperte Anglorum opes, operãq. in omnes caſus Mariæ offerentes, clã de ea opprimẽda cõſilia ſtruũt, & tanquã ad pacem inter eam, & ſubditos firmandam veniſſent, nobilium quorundam animos, qui hactenus à Regina nondum deſciuerunt ſecreto pertentant, diuerſa, prout quem que æquo, aut iniquo in eam animo comperiunt, ſuggerentes

Digitized by Google

tes: Et quia bellum anceps, & periculi plenum apparebat, quandiu Maria cum Marito cõcors eſſet, ad notam ſceleratis omnibus fraudem, inimicitias inter coniuges arte peſſima ſeminandas, confugiunt. Darlæum incautum Iuuenem, Mortonius, & Ruuenius Comites aliique ſub amicitiæ ſanctiſſimę ſpecie conueniũt, nimiam eius circa Regni negotia deſidiam incuſantes, ad muliebre iugum excutiendum, regiamq. ſibi aſſumendam poteſtatem hortantur; hanc Reginam ipſi facile conceſſuram, niſi obſtaret Dauid Riccius mentiti ſunt. erat autem hic Riccius ex ea Italiæ parte, quæ ad radices Alpium iacet, ſenex quidem, & corpore deformis, ſed ob eximiam fidem, & prudentiam Mariæ perc harus, adeoq. à ſecretis. uirũ hunc cum non niſi morte à Regina ſeparari poſſe intelligeret,

Dar-

Digitized by Google

Darlæus conſilium de eo interficiendo cum ſectariis, quibus ob orthodoxām Religionem inuiſus erat, non ſine maxima impudentiæ,& temeritatis opinione init. Regina cum auctoritatem ſuam magis, ac magis contēni, & Gynæcocratiam à Knoxio aliiſque eiuſdem farinę apoſtatis publicis declamationibus ad populum, editisque ſcriptis vexari, & improbari videret, miſeris aliquando rebus opem,ſi quæ ferri poſſet,latura tandem de profugis in Angliā, inter quos Nothus erat, debitas Maieſtatis reis pænas ſumptura, publica ordinum Comitia indixit. Iamq. vterum ferebat Princeps aliquot menſium prole grauida, hæc res Anglos, & cæteros ſtirpis regiæ hoſtes impulit, ad ea omnia excogitanda, quæ Reginæ abortum interitumque adferre poſſe videbantur. Sacerdotem, quem

vnum

Digitized by Google

vnum ad Sacramenta relictum memini,cõtumeliis ipſa coram afficere,eum in ius, & ſupplicia ſecundum Moſaicam legẽ idololatris propoſita trahere; ea denique omnia comminiſci, quæ Reginã coeleſti conſolatione, quam ſolam inter has anguſtias experiebatur, priuare poterant. Dum grauiſſimis hiſce miſeriis agitaretur Maria, venit à Romano Pontifice opportuna tempori inſtructus legatione nuncius; qui Pont. Max. totiuſque Tridentinæ ſynodus, ad Catholicos orthodoxis contra naſcentes hæreſes muniendos remediis indictæ, nomine, præmiſſa benedictione apoſtolica, tria ab ea petiit: primum, vt Prouincias ſuas ad Pacem,& eccleſiaſticam vnitatem omni ratione inducere ſtuderet, tum vt præſules, quoſdam Tridentum, qui concilio intereſſent,

mit-

Digitized by Google

mitteret; tandem vt ipſa conſtanter in maiorum fide perſiſteret; Ad quę Regina in hanc ſententiam reſpondiſſe perhibetur. *Quantum ego ad Scotiæ Regnum in officio erga Deum, & Romanam Sedem continendũ laborauerim, laboremque quotidie nullos in Europa Principes, & multo minus Pontificem max. fugere poſſe arbitror: lenitatem forte meam in pacis publicæ violatores, hæreſiſque Miniſtros incuſabunt nonnulli, & meritò, ſi me partim neceſſitate, partim ſtudio pacis ad iſta mitiora conſilia inductam neſciãt. Leges in poſterum, & Regiam auctoritatem parum valida inter arma, et tumultus, ſi ſola sũt, ſubſidia, adhibebo, ſic ſtatutum mihi cuncta experiri. Viros qui pietate, & doctrina inter noſtrates pollent Tridentum delegare arduum ſane, at vix audendum* reor:

reor; nam bis miſero huic Regno ſubductis, quis ſe hæreſi ingenti noſtro cum dolore inualeſcenti opponet? quis nutantem religionem firmabit? quis lapſam eriget? Robertus Vauchopus dilectiſſimus noſter ſubditus, & Hiberniæ iam primas multorum abſentiam ſupplebit, ſunt, & alij in Germania Scoti virtute, & eruditione conſpicui, quos SS. Pater ad Conciliũ vocare poterit, horum nos iudicio ſtabimus, amplexabimurque libenter quidquid Catholica Synodus decreuerit. Ad me vero quod attinet, Eccleſiæ filiam eſſe in maximis laudibus pono; à cuius vnitate, nec ſceptra, nec Corona, nec vitæ dulcedo, nec mortis terror, vnquam me, vel latum vnguem, diuino propitio auxilio, ſeparabit: Regno eijci, ſolio deturbari, quacunque demum miſeria vexari potero, à

Catholica, Apoſtolica & Romana veritate vt diſcedam, præmijs induci, aut ſupplicijs cogi non potero Hæc, & coram dixit, & plurima in eandem ſententiam miſsis ad Pontificem literis confirmauit, quæ vt Catholicorum Principum beneuolentiam, ita ſectariorum Angleq. potiſſimum inuidiam accenderunt in Mariam; quam ſceleribus olim ſuis offenſam, vltricem olim impietatis verebantur. Hinc barbaræ in eam Prædicantium inuectiuæ, & clandeſtina ſectariorum odia; quibus cum nil præſentius ad Maieſtatem vitamq. Principis lædendã, quã Riccii a ſecretis cædes occurreret, eam nuſquam niſi apud hæreticos audito facinore aggrediuntur. Cænabat in remotiori Palatii cubiculo Regina (vbi vt plurimum morabatur, in publicum raro ob aduer-
ſam

ſam prodiens, valetudinem, tū vt promiſcuos ſibi numinique inuiſorum congreſſus ſolitudine vitaret) anterioris aditus ob ſerratæ portæ, per ſecretas ad poſticam ſcalas familiaribus, neque tamen omnibus ingreſſus patebat, hac Darlæus, quē peſſima hæreticorum conſilia, & impotens Regni, conſortia non patientis libido, excæcauerat, ad Reginæ cubiculum prohibente nemine, penetrat; hunc à tergo ſecuti Mortonius, Ruuenus, & Lyndeſius coniurati: & Ruuenus quidem galeam, loricam, aliaque militaria indumenta ferebat, cæteri armati quidem, ſed modeſtius, Maria rei nouitate commota, nihil tamen de priſtina grauitate remittens, Ruuenum corripit, interrogatque num ad Principis ſuæ cubiculum, an ad hoſtium caſtra tali habitu incedendum

foret?

Digitized by Google

foret? Tum ille, nebulonem, inquit, ò Regina, quem tu nimio præ tota nobilitate in pretio habes, Riccium quærimus, hũc nobis trade; prouolutum ad pedes ſuos miſerum Regina modo minis, precibus modo ab inuadentibus defendere conata, mox Darlæus, (nam cæteri eam attingere non audebant) operiẽtis inſontem manus apprehendit, & renitentis adhuc, dimicantiſque pro innocente pectori Ruuenus ſtrictum pugionem (ſclopetum alij volunt) intendens ab amplexu, plus fœtui iam fere adulto, quam ſibi timentem deterruit. Riccium vulneribus aliquot perfoſſum extra cubiculum trahunt, multis in exanime cadauer effuſis cõtumeliis, ad ſe conuerſos, vt facti tam nefandi inuidiam mollirent, faceſſere iuſſit Regina, conſcium, & vindicem ſcelerũ

Deum

Digitized by Google

Deum inuocans,ac cæleſti qua
ſi afflata ſpiritu leuiter manu
vterum percutiens. hic inquit.
quem ego fero , cuius ſalus , ſi
nó maieſtas,vos mouere debuiſ
ſet, iuſtas de ſceleribus veſtris
aliquando pænas ſumet:nec di-
cto fides abfuit : Nam Morto-
nius,& Ruuenius præcipui cri-
minis auctores regnante poſtea
Iacobo Mariæ filio capite plexi
docuerunt magnam eſſe numi-
ni licet ad pænas tardo,de iniu
rijs Principum vlciſcendis cu-
ram. Patrata cæde cuſtodes ap
poſiti Reginæ omnem ei quo-
quouerſus progrediendi liber-
tatem abſtulere : atque ita ſce-
lus ſceleri additum:nam voca-
to ex Anglia ad comitia Notho
inter perduelles de Principe,om
nibuſq.Papiſtis (ſic genus illud
hominum Catholicos per con-
temptum vocat) interficiendis
conſulitur: aduerſatur parrici-
dio

dio Nothus pietatis ſpecie, quia nondum rebus ſuis conducere videbat, integra Hamiltoniorum, ad quos ſucceſſio proximè ſpectabat, familia, nec fractis aliorum procerum, qui à Maria ſtabant viribus; poſtera luce Reginam accedit, ſuam fidem, amorem, & obſequium pluribus oſtendens, hortaturque ad amicitiam cum Darlæo marito redintegrandam: à qua cũ nõ abhorreret optima princeps vt beneficiorum memor, ſic immemor iniuriarum, eum vocari iuſſit, non minore facilitate reliquis, ſi deprecarentur, veniam datura. Ingreſſum grauibus coram verbis increpans, manu in ſecretiorem locum deduxit: aperuitque prudenter, quo ſectariorum conſilia tenderent, & quibus eneruanda remediis. *Omnes qui te ad regnum hoc inuadendum, & muliebre iugum ex-*

Digitized by Google

*executiendum incitant; mihi ne-
vlla ratione id dimittam gra-
uiſſimis, & efficaciſſimis ſua-
dent arguĕmtis, nulla in alteru-
trum charitate, aut obſeruãtia,
ſed vtrumque mutuis vulneri-
bus perdendi ſtudio inducti: me
enim in tui gratiam, te in mei
ſublato, Scotia rebellibus, aut
hoſtibus in prædam cedet, habe-
buntq. ſcelerati parricidio du-
plici, duplex pietatis velum.
Sed finge te regem eſſe, omnemq:
quam ego in te transferre poſ-
ſum exercere auctoritatem, nul-
lus, familiares ſi dempſeris, edi-
ctis tuis, aut mandatis obtempe-
rabit, nec illi, qui te Regem cu-
pere ſe dicunt pro Rege agno-
ſcent. Iam vero quamdiu penes
me legitimam hæredem Regni
poteſtas manet, tu omnibus eius
commodis frueris, nec ego quid-
quam de iure meo amitto, ad
quod defendendum optimus*

quiſq. ciuium, & exteri Principes parati erunt; verum ſi hac te minus mouent, animo reuolue maxima à me in Patrem tuum, quem ab exilio reuocatum priſtinis honoribus decoraui, maiora in te ad regni thalamique ſocietatem aſſumptum collata beneficia. nullus erat in Scotia, ante reditum meum, cui ſalus veſtra cura eſſet, iam cuncti de regno vobis parando ſollicIti, quo facilius in exilium, vt iniuſtos inuaſores remittant. Deſinè quaſo in poſterum talia moliri, qua tibi certum exitium, mihi dubium in ſubditos imperium allatura ſunt, & potius egregios iſtos amicos hortare, ad commune nobis auxilium, contra Dei, & Eccleſia hoſtes ferendum; quos ſi in numinis obſequio videris conſtantes, tu quoque aliquid ab ipſis in pari neceſſitate ſpera;

ra: Si minus, quomodo precor in hominem pauca ſibi conferre valentem, pauciora volentem grati erunt, qui in omniũ largitorem Deum tam manifeſta ingrati animi indicia prodant; cuius niſi me honor apud Scotos inſtaurandus detineret obſtrictam, omnibus hiſce anguſtijs exutam, in tranquillo memet, ſecuroq. breui locarem.
Laudata coniugis pietate, ſapientiaque Darlaus ſeriæ, licet ſeræ, ob patratum homicidiũ, regnumque affectatum pęnitentiæ indices effudit lacrymas: Reginæ ſimul totum coniurationis ordinem, autoreſque retexens, ſuam iureiurando operam ad omnia, quæ ipſa vellet ſponte obtulit. Mox animo vultuque compoſitus ad Proceres diuertens, impetrauit, vt cuſtodiæ ſuæ committeretur Maria; cum qua per cæcas noctis

 tene-

Digitized by Google

tenebras ex Edinburgenſi caſtro inſcijs hoſtibus aufugiens Dumbarrum peruenit. Inde Regina miſſis ad diuerſas Regni partes literis, quos fauentiores noſcebat, de fuga ſua monitos vt in armis præſto eſſent antequam aduerſarijs militem conſcribendi, aut ſubſidium ex Anglia vocandi tempus concederetur, deprecans, intra paucos dies aliquot hominum millia ſub ſignis habuit. Inopinata hac Reginæ cum Marito concordia, diligentiaque territi rebelles in Angliam, ſecurum valde regnante Spuria, impietati perfugium mira celeritate euadunt. Atque hic omnium miſeriarum finis extitiſſet in Scotia, niſi Maria inaudita prius in Apoſtatam, rebellemque clementia, Nothum ab exilio quo ipſe ſe dignum iudicauerat, reuocatum in priſtinam gratiam ſuſce-

ſeepiſſet; ſicque iterum facies rerum mutata. Nam *Regina* dum ſe beneficio ſingulari ad perpetuam fidem Nothum per traxiſſe autumat, incautius ab eo, qui hoſtis aliquando fuiſſet, quam par erat; conſilia admittens, exemplo docuit, cui illata eſt iniuria, eum cito obliuiſci, qui infert numquam. Indignatus Darlæus Nothum, ſociosque tanta apud Reginam *auctoritate* pollere, vt cuncta eorum adminiſtrarentur arbitrio, quos Patriæ, Principiſque ſaluti ſciebat eſſe infenſiſſimos, rationes primum de eo interficiendo excogitat, mox eas Reginæ aperit; oſtendens quale monſtrum vniuerſæ Reip. exitio natum ipſa alat. Hæc crudelitatem auerſata, maritum ab incepto deterret, magno vtriuſque diſpendio; Nothus enim eorum, quç à Darlæo agi-

tabantur, certior per exploratorem factus, iuuenem ſceleribus ſuis contrarium, eoq. ſibi nomine iniquum perdere ſtatuit, ne perderetur. Verum cum hactenus virum probum ſimulando, multis virtutum fama, præconibus miniſtris impoſuiſſet, veritus hac vulgi opinione, ſi tam inſignis homicidij ſolus autor haberetuur, excidere, Bothuellum Comitem, hominē ad peſſima natum, crudelem, vanum, glorięque quouis etiam facinore appetentem, in eiuſdē ſecum criminis ſocietatem adduxit: facta ipſi ſpe Reginæ nuptijs, marito ſublato potiundi & quod fidem ſuperat eas publicis tabulis inſcia Maria obſignauit: quam vt in patratæ cędis ſuſpicionem aliquando inducere poſſet, Bothuello propitiam, & Darlæo iniquam efficere totis viribus eſt conatus

illum

illum ab egregijs virtutibus, modeſtia, temperantia, & fortitudine commendans; hunc vero affectati Regni, adulterii aliorumque flagitiorum inſimulans;ſed Regina cum probe noſſet,quo animo in Darlæum Nothus eſſet,nunquam induci potuit, vt quidquam de eo grauius ſuſpicaretur. Acceſſit ad priorem inter coniuges amorē nouus Charitatis nexus: filij ortus,quem Regina Catholico more ſacris vndis ablui ab Archiepiſcopo Glaſcuenſi,& ob lõgam Auorũ memoriã Iacobũ vocari iuſſit. Natalis Principis dies magna apud noſtrates lætitia celebratus; quem communem fecit,communis hominũ de eo expectatio. Catholici maiorum ſtudia imitaturũ,hæreſim profligaturum, fidei maieſtatē redditurum priſca vaticiniorũ auctoritate prędicabant: Sectarij vero ſuo bono natum,mulie-
 rum

rum ſuperſtitioni deditarum imperium ſublaturum, ac papiſticæ idolatriæ finem impoſiturum affirmabant: nam quales homines ipſi ſunt, tales ſibi Principes fingunt, aut optant. Nothus cum nihil ſe apud Reginam contra Darlæum proficere cerneret, timeretq; ne is iam nati Principis tutela validior, acerbius quidquam in ſe moliretur, cogitationes omnes ad ſcelus maturandum conuertit. Sunt qui propinatum initio Darlęo venenū afferāt, nullo, prę terquam ex inſequenti morbo, petito indicio, quem grauem, valde, & ſupra conſuetudinem violentum conſtans medicorū fatebatur aſſenſus: decumbentem Regina ſæpius, non ſine lacrimis, repugnante Notho inuiſit; eaque omnia, quæ piam decebant coniugē, egroto adhibuit ſolatia; cuius rara cura, & diligentia, cuncta, quæ excogi-

tari

Digitized by Google

tari potuerunt medicamina, quocumque pretio ſumminiſtrantis, noxia vi morbi depulſa, redire ſanitas cæpit. Tum Nothus ad priſtinas conuerſus fraudes Darlæum in Hamiltoniorum Palatio, quo ęgrum Regina deduci curauerat, reficiendis viribus ſtudentem maxima comitate accedit, deque valetudine recuperata, non ſecus quã ſi intimus aliquis amicorum eſſet ficta fætaque mendacijs oratione ei gratulatur, ſuadet præterea, nil mali ſubeſſe autumanti, vt ad Kirkofoldij cuiuſdam ciuis priuati ædes ſalubrioris habitationis diuerteret; Darlæus comitate pari, ſed meliori fide omnia, quam dicerentur accepit, & in tecta breui ſibi exitium allatura vix mora interpoſita migrauit. cognita profectionis cauſa, auctoreque, Regina mariti benignitatem,

Digitized by Google

tem, & pietatem Nothi vehementer laudare, rationeſq. æternæ inter eos amicitiæ ſtabiliendæ inire: ſed nihil ad efferatum Apoſtatæ animum emolliendũ valuit, tanto à vera charitate remotiorem, quanto ad omnia fingenda promptior erat: die ſiquidem, quæ coniurationem pręceſſit, aula relicta migrationem ex Vrbe ſimulans, in ſuburbanam Villam profectus ad ſolis vſque occaſum delituit, ingruentibus tenebris Bothuellum dicta hora, locoque conuenit, & nihil recuſantem, ad facinus, cui ipſum quoque interfuiſſe nonnulli ferunt: maturè exequendum accẽdit; timere enim ſe, ne Regina maritum valetudini vtcunque reſtitutum in Regiam accerſat, ibi ſi cedes fiat, maiorem offenſioni, minorem ſecuritati locum futurum; nec exaſperandum tam cre-

bris coram funeribus Princi-
pis animum,nondum mitigata
necis Riccio nuper illatæ inui-
dia. Bothuellus itaque aſſum-
ptis parricidii conſciis ad Kir
kofoldii domum nocte intem-
peſta progreditur,ac vbi ſingu
la luſtrando armatos oppor-
tunis locis ad omnem introi-
tum, fugamque prohibendam
diſpoſuiſſet, Darlæo ex com-
poſito nunciari iuſſit, eſſe in
horto quoſdam ex nobilitate
ipſum conueniendi, ob grauiſ-
ſima negotia,percupidos,quiq.
non pænitenda ferrent, hos
orare vt prius quam dies clare
ſceret,ſui copiam facere digna
retur, idque ſine arbitris, cum
à nullo niſi ipſomet agnoſci cu
perent, qui venerant. Proru-
pit ex lecto iuuenili temerita-
te,nil vltra percõtatus Darlęus,
nec ſumpta ad veſtes rite aptã
das mora,in hortum deſcendit,

venienti obuiam progreſſus Bathuellus ſalutem precatur, cui ille reddita vice, ſolusne, inquit, mi Comes, huc venis? mox quędam ſecreto muſſitantes obambulant. Bothuelus interim dictis ſuis intentum Darlęum, nec ſimile quidquam me tuentem collo apprehendit, ac iniecto gutturi faſcia ſerica, quam miſer humero gerebat, ex vicino arboris ramo ſuſpenſum enecauit; cadauer vt erat in lectum referri curat, & quo ſcelus faciliꝰ lateret, totam Domum ſuppoſitis tormentario puluéri, qui eum in finem erat diſpoſitus, candentibus prunis, funditus euertit. Hæc ex ipſius Bothuelli confeſſione, dum in carcere poſtea apud Daniæ Regem detineretur, & mortem expectaret, innotuere. Percuſſit hæc nefandi criminis in dilectum coniugem atroci-
tas

tas tanto dolore ſæpius iam petitam Reginæ conſtantiam; vt ad eam eodem efferendam funere, niſi Dei nutu ad maiora fuiſſet referuata, mœroris vehementia ſuffecerit: mariti corpus ruderibus erutum (celebratis ab vnico ſacerdote, quē non ſine multorum indignatione retinebat, exequijs) regio, maiorum ſarcophago inferri iuſſit: proxima ei cura fuit de pęna ſecundum leges coniuratis irroganda; quare vt primum lacrimas cohibere, & triſtitiæ modum ponere valuit, Curiam ingreſſa vocari Proceres imperat, quos vbi magno numero aduenisse perſpexit, paucis hūc in modum eſt allocuta. *Si Regnum hoc fraude aliqua, vel armata manu occupatum, inquit & a Maiorum inſtitutis alienis legibus adminiſtrarem, iuſtam ſubditorum in Tyramnam*

ira-

iracundiam, aut ſupplex deprecari, aut fuga declinare ſtuderem: ſic me met periculo illos miſeria liberarem: verum dum animo reputo tam inſignis parentum meorum tot præteritis ſæculis, pro Regni, populique huius ſalute exantlatos labores, nulliuſque extra familiam noſtram pollutum inuaſione ſceptrum, hæreditario ad me iure perueniſſe, aquam mihi cum alijs Principibus in vos poteſtatem ad præmia, ſuppliciaue pro meritis inferenda, ex omnipotentis Dei miſericordia conceſſam reor, quam tanta moderatione hactenus exercui, vt nimia forte indulgentia peccatum ſit. Nullus ex quo ego regnare capi, niſi communibus veſtris ſuffragijs, bonis exutus, dignitatibus ſpoliatus, aut capite plexus eſt; vobis iudicium, mihi ſolam clementiam reliqui; quæ tamen

men ſemper ita iuſtitiæ paruit vt nemo habeat, quare ſe alterius incolumitate læſum conqueratur. Cæterum quantæ, & quã graues me, ex quo in inſulam hanc redij, ab omni parte ſepſerint moleſtiæ, paucis veſtrũ latere arbitror. bellis, quæque hoſtili animo geſta videntur, prætermiſſis, qualem bone Deus, poſitis armis cernimus pacem? nõ pudet phanaticos quoſdam Sathanæ aſſeclas, violato numine, me vobis audientibus canino dente petere, & Ieſabelẽ Idololatram, regnoque proturbandam iteratis concionibus proclamare, vitam denique & mores meos tam fœdè traducere vt populorum in me odia, & ſiniſtra voluntas iam liquidò appareat. Vos ego per Deum obteſtor, perq. humanitatem, ſiqua, abnegata vera fide, ſupereſt, quo tandem crimine fœdatam,

cui

Digitized by Google

cui culpæ obnoxiam reperiſtis?
nam veſtro in aſpectu, ac ve-
ſtris ſub oculis viuo: eam quidẽ
Religionem profiteor, cuius nul
la ſectariorum calumnia ma
ieſtatem infringet. Sed quan-
doquidem ratione apud eos ho-
mines agere, qui illã contem-
nunt, ſuperuacuum ſit, ego
maiorum meorum & vicinorũ
Principum exemplo, non niſi à
Catholicis Principibus Chri-
ſtianæ ditionis Regna admini-
ſtrari debere ſciens, nunquam
ab ea fide recedam, quam Pa-
tres noſtri tanta conſtantia de-
fenderunt. Nec verbis tantum
ſæuitum. Dauidem Riccium,
qui mihi ab epiſtolis fidelem
ſemper operam nauauit, priua-
tos intra parietes opem nequid-
quam implorantem iteratis icti-
bus me coram interficere auſi
faere non nulli, homicidium diſ
ſimulauiꝫ in idem aſſerin...
aly

alÿ à familiaribus meis adducti: quid? nunquid non mihi ipſi tanquam captiuæ appoſiti cuſtodes? ät nullo tamen ob tanta crimina facta inquiſitio eſt, & ſi qui rei comperti, in gratiã recepti ſunt. Tandem quod meminiſſe animus horret Darlæus *Maritus noſter e medio ſcelerata coniuratione ſublatus, in huius ſaltem mihi cedis autores animaduertere pro legum arbitrio ſtatutum: nec præſentium opera deerit, vt opinor: veſter honor, nobilitasque, Viri Illuſtres, in periculum adducentur, niſi iuſta de nocentibus vindicta ſumatur; quos ſi nulla in me charitas, ad defuncti manes ab iniuria vindicandos excitet, at certe regni huius ſpes reliqua Iacobus Princeps adhuc in cunis vagiens, & aſſiduis lacrimis orbitatem ſuam, ac meam viduitatem deplorans,*

ad

ad pietatem flectat; hic a vobis Patrem, & teneræ ætatis requirit defenſorem, qui nec Matrem diu habere poterit, ſi tam libera in familiam regiam graſſandi erduellibus linquatur poteſtas: quod ſi neque Principi quidquam concedere vultis, Viduæ gemitus, et lacrimas pupilli admittite, & regnum hoc ſcelere, vos ipſos infamia liberate: nam dum tam manifeſti criminis nullus autor reperitur, omnes rei habendi. Reginæ orationem ingens Procerum fremitus, & indignatio ſequuta; erigere ſe in pedes, & de Parricidis ſupplicium expetere ſinguli, ac promittere: quantoque quis nocentior, tanto ad facinus deteſtandum pronior videbatur. Electus prævalentibus hæreticarũ partium ſuffragiis, ad Conquiſitionem faciendam Argatheliæ Comes, huius diligentiæ, an quod,

&

& ipſe inter conſcios eſſet, mul tum deſiderata; nam voce publi ca, & affixis tabulis vocatus Bo thuellus ad dicendam cauſam cum tota gẽtilitia ſtirpe (Scotis enim nobilibus in more poſitũ eſt tali comitatu ad tribunalia venire) die ſtatuto acceſſit; culpaque omnium iudicio liberatus, tantum à ſupplicio abfuit, vt non dubitarit Reginæ nuptias ab ijſdem, qui innocentem declararunt, in patrati ſceleris præmium expoſcere: nec mirum hoc erit legenti, ſi iudiciorum apud nos formulam verbo indicauero. ſupremus rerum capitalium Iudex, teſtiũ numerum nec certum habet, nec pro ſua volunte eos eligere poteſt, qui an factum videatur perſpiciant, quia hoc reo tribuitur, vt non niſi æqualis ſibi conditionis, & dignitatis admittat, quoſque ſibi aliquo mo-

do

Digitized by Google

do infenſos putat, à teſtimonio ferendo reijciat. Sic facile eſt potenti, maxime dum accuſator deeſt, iudicia eludere. Dum anxia rei exitum præſtolatur Regina, veniunt e Senatu, qui eam vt finem mærori ponat, hortantur, ſuamque in Bothuelli cauſa cognoſcenda fidem oſtendunt, innocentiſſimum communi iudicio inuentum affirmantes. Tum Procerum nomine rogare, vt aliquem, ex nobilitate in Regni adminiſtrandi ſubſidium, ſuæque viduitatis leuamen aſſumat, id omnibus probari; quare tolleret ocyus rebus nouis occaſiones, omnemq. de extero Principe (cuius imperium ægerrimè laturi eſſent Scoti) adſciſcendo pelleret cogitationem, eſſe Bethuellum comitem tum bellica laude, tum animi, corporiſq. dotibus apud cunctos inſignem, huius vel nomini

mini ad ſubditos in officio continendos momenti plurimum ineſſe. Excanduit his auditis Regina, petijtque num adulterinas nuptias approbarent? Sed illi diuortium inter Comitem, & vxorem factum aſſeuerant: qua lege, inquit, Regina, ipſa viua coniuge licet vxorem ducere? Hæc ne deformati veſtri Euangelij dogmata? Sic infecta re dimiſſi paucos poſt dies redeunt, mortuam comitis vxorem nunciantes; tum illa importunitate victa deliberandi tempus rogauit. Sterlinum interim ad Principem Iacobum inuiſendum cōtendens, cum eodem breui ſpatio morata eſt, ex quo neſcires dolorem maiorem, an lætitiam hauriret: letabatur quidem ex filij aſpectu, quem vnicè diligebat, vt par erat, ſed dum viduitatem ſuam, puelli ætatem, ac miſerum regni ſtatum conſide-

rat,

Digitized by Google

rat, ſe infantemque in maximis conſtitutam periculis videt: verum hoc certum, plus optimam matrē de filij incolumitate, quam de propria fuiſſe ſollicitam. Sterlino redeunti Bothuellus cum armata militum manu fit obuiam, tabulaſque de ſuis cum ea nuptijs Procerum ſigillis munitas offert; has rogat vt Princeps aſſenſu proprio ſtabilire dignetur, nec differendum aiebat, cũ non ſine vtriuſq. ingenti diſcrimine necti moræ poſſent. Maria hoc ſtatu deprehenſa, quo neq. arma, neque artes, quibus reſiſteret, haberet ad manum, noſceretque impotentem Bothuelli ad quiduis audendum, ſi expectatione fruſtraretur animum, aſſenſit; prius tamen eum ſolemni ſacramento in Catholicorum verba, & fidei apud Scotos inſtaurandæ ſocietatem adegit; mox fidelitatis

iusiu-

iuſiurandum erga Reginam, & filium Principem nec rogatus, iurauit. Vt primum hæc ad ſectariorum aures delata, plebem ad conciones, & arma vocant, Bothuellum, qui dum puritaniſmum ſimulabat, mortalium innocẽtiſſimus cunctorum ſuffragijs declaratus fuit, ad apoſtolicam veritatem cõuerſum, apoſtatam, rebellem, ac regiæ cędis autorem proclamãt. nec mora; Exercitum Dumbarrum verſus Mortono, & Ruueno ducibus mouent, hoſtili non minus in Reginam ipſam, quam Bothuellum animo; qui inopinato furori impares, congreſſum ad pręſens differunt; verum vbi confluentibus ad regia ſigna Catholicis militum numerus augeri cæpit, caſtra prope Caberillum ad ſe potius defendendos, quam rebelles inuadendos metantur. Dum hinc, & inde in armis ſta-

ret

Digitized by Google

ret Miles, timerentque aduerſariorum robur ſectarij: mittunt, qui Reginæ indicet, non aliam ob cauſam arma ſumpſiſſe Nobiles; quam vt eam Bothuelli tyrannide liberarent, Parricidii in Darlæum, aliorumque maieſtatis criminum rei: quæ vt ſubditorum parceret ſanguini, publicæque ſe quietis amantem oſtenderet, Bothuello id magnópere diſſuadenti, petentique vt ſibi innocentiam ſuam, vel ſingulari certamine probaturo daretur facultas, imperauit, hoſtium ſe poteſtati ſubduceret, donec nouum de eius cauſa fieret iudicium. ſic in Rebellium caſtra tranſiens Regina, ſe totã illorum voluntati commiſit. qui neglecta Bothuelli fuga (hunc enim nequitiæ totius, doliq. indicem verebantur) Mariam Edinburgum tamquam in Triumphum ducunt, vexillum milita-

re præferentes, in quo Darlæi
mortui depictum erat cadauer
ac pone infantis Iacobi, vindi-
ctam à Deo expoſcentis ima-
go: Sic tacite primum, maniſe-
ſtis deinde ſermonibus eam cę-
dis in maritum patratæ inſimu
lant; quam non in Regiam de
more, ſed in priuatas ędes, quas
cuſtodia muniuere, comitati,
ſequenti luce equo impoſitam,
ac vili admodum veſte, ne co-
gnoſceretur, indutam in Laui-
ni lacus munitiſſimam arcem
comitis Mortonij, aquis vndi-
que per mille paſſus clauſã, hu-
mili cimba inuexere. Erat tum
in Gallia omnium, quæ accide-
rant, doloſus artifex Nothus,
qui licet magnum de Reginæ
captiuitate, ac ciuilibus bellis,
Guiſiis Principibus monſtra-
ret dolorem, Scotos tamen ad
eam tollendam crebris horta-
batur literis, negans ea viua in

E pa-

patriam ſe redire velle. In eandem ſententiam iuere cætera hæreticorum colluuies, reſque euentum ſortita fuiſſet; ni Eliſabetha Angla ſanius illis, quos maximè incolumes ſemper cupiebat, ſuggeſſiſſet conſilium; ſcilicet vt Mariam ſe regno abdicare, ac omne dominij ius in Iacobum Principem transferre cogerent, ita ſecurius longe, abſque vlla violatæ Maieſtatis noxa in priuatam arcturos, quã ſi Regni titulum, dignitatemq. retineat. Placuit ſummopere rebellibus commentum; & Regina ne vllam ſeſe ex perditiſſimorum hominum manibus liberandi occaſionem prætermitteret, publicis tabulis iuri ſuo renunciauit. Tum illi, qui non aliam impietati ſuæ remoram, quam regiam auctoritatem hactenus experti fuere, eandem in poſterum ad omnem nequitiã pro-

promouendam, oblatam rati; Iacobum Principem infantem adhuc, conuocatis regni ordinibus corona, ſceptroque ornatũ ſextum eius nominis proclamarunt: cuius tenerã ætatem à Catholicorum aſpectu, non minus quam à lethali peſte tutati; cuncta eius nomine in Religionis odium geſſere; atque illud in primis ſtabilitum, vt nulla Catholicis in Scotia vltra viuendi linqueretur facultas, quorum bona in fiſcum relata, ipſi exulare cogebantur. ſic qui paulo prius fidei cauſa nullius conſcientiæ vim faciendam, ſed liberam Chriſtianis pro arbitrio credendi veniam ſupplicibus libellis expetierũt viribus numeroque ſuperiores, tollendam libertatem, ſolam hæreſis profeſſionem tolerandam, armis in orthodoxos, adeoque in Reginam ipſam

agendum ſtatuerunt. Viderint hinc Politici, quam bene Regibus, ac Rebuſpublicis cõſulant, dum tolerandam hæreticorum ſocietatem contendunt, ferendamque, ac ſpernendam potius, quam caſtigandã paucitatem, hos Deum aut non agnoſcere, aut non recte colere neceſſum eſt; talium niſi conſilijs paruiſſet Maria Stuarta, omnium, in quas incidit, moleſtiarum expers, vitam ad extremam ſenectutem, non minus fæliciter, quam pacificè produxiſſet. Verum ad carcerem, in quo cõtra ius, faſque detinebatur redeo; huc Nothus, in quem Regis tutela ex hæreticorum aſſenſu translata fuit, veniens, omnem captiuæ fidem, & obſequium ſubdolus proditor offert; negat tamen eius liberandæ poteſtatem in manu ſua poſitam eſſe, ſolito abeuntem, pro innata ſibi

bi

Digitized by Google

bi humanitate, alloquio digna-
ta Regina, admonuit, vt præte-
ritorum memoriam, & præſen-
tium recordationem renouaret.
Sed cum nulla verborum aut
promiſſorum ſuauitas efferum
& ad ipſa beneficia obduratum
animum flectere valeret, reper
tus eſt inter hoſtes, qui tantæ
maieſtatis, virtutiſque miſer-
tus, fidelem ad Principem libe-
randam manum porrexerit. is
Georgius Duglaſius, eius, ad
quem arx ſpectabat, frater, ſaga
cis conſilij, & raræ fortitudinis
uir, qui adoleſcentem quendã
nomine Gulielmum, Mariæ
pincernam arctiſſimo ſibi ami-
citiæ vinculo obſtrictum, in e-
gregii facinoris ſocietatem pel
lexit: quod ille adeo nõ eſt aſ-
pernatus, vt operam ſuam tam
piæ cauſæ etiam cum vitæ diſ-
pendio lætus obtulerit. Dictus
eſt fugæ dies, quo ſplendidum

E 3 in

Digitized by Google

venienti obuiam progreſſus Bathuellus ſalutem precatur, cui ille reddita vice, ſolusne, inquit, mi Comes, huc venis? mox quędam ſecreto muſſitantes obambulant. Bothuelus interim dictis ſuis intentum Darlęum, nec ſimile quidquam metuentem collo apprehendit, ac iniecto gutturi faſcia ſerica, quam miſer humero gerebat, ex vicino arboris ramo ſuſpenſum enecauit; cadauer vt erat in lectum referri curat, & quo ſcelus facilius lateret, totam Domum ſuppoſitis tormentario puluéri, qui eum in finem erat diſpoſitus, candentibus prunis, funditus euertit. Hæc ex ipſius Bothuelli confeſſione, dum in carcere poſtea apud Daniæ Regem detineretur, & mortem expectaret, innotuere. Percuſſit hæc nefandi criminis in dilectum coniugem atroci-
tas

Digitized by Google

tas tanto dolore ſæpius iam petitam Reginæ conſtantiam; vt ad eam eodem efferendam funere, niſi Dei nutu ad maiora fuiſſet reſeruata, mæroris vehementia ſuffecerit: mariti corpus ruderibus erutum (celebratis ab vnico ſacerdote, quẽ non ſine multorum indignatione retinebat, exequijs) regio, maiorum ſarcophago inferri iuſſit: proxima ei cura fuit de pęna ſecundum leges coniuratis irroganda; quare vt primum lacrimas cohibere, & triſtitiæ modum ponere valuit, Curiam ingreſſa vocari Proceres imperat, quos vbi magno numero aduenisse perſpexit, paucis hũc in modum eſt allocuta. *Si Regnum hoc fraude aliqua, vel armata manu occupatum, iniquis & a Maiorum inſtitutis alienis legibus adminiſtrarem, iuſtam ſubditorum in Tyrannam*

iracundiam, aut ſupplex depre
cari, aut fuga declinare ſtude-
rem: ſic me met periculo illos
miſeria liberarem:verum dum
animo reputo tam inſignis pa-
rentum meorum tot prateritis
ſaculis, pro Regni, populique
huius ſalute exantlatos labores,
nulliuſque extra familiam no-
ſtram pollutum inuaſione ſce-
ptrum, haredisario ad me iure
perueniſſe, aquam mihi cum
alijs Principibus in vos pote-
ſtatem ad pramia, ſuppliciaue
pro meritis inferenda.ex omni-
potentis Dei miſericordia con-
ceſſam reor,quam tanta mode-
ratione hactenus exercui, vt ni
mia forte indulgentia peccatum
ſit. Nullus ex quo ego regnare
capi, niſi communibus veſtris
ſuffragijs, bonis exutus,dignita
tibus ſpoliatus, aut capite ple-
xus eſt;vobis iudicium,mihi ſo
lam clementiam reliqui;qua ta

men ſemper ita iuſtitiæ paruit vt nemo habeat, quare ſe alterius incolumitate læſum conqueratur. Cæterum quantæ, & quã graues me, ex quo in inſulam hanc rediÿ, ab omni parte ſepſerint moleſtiæ, paucis veſtrũ latere arbitror. bellis, quæque hoſtili animo geſta videntur, prætermiſſis, qualem bone Deus, poſitis armis cernimus pacem? nõ pudet phanaticos quoſdam Sathanæ aſſeclas, violato numine, me vobis audientibus canino dente petere, & Ieſabelẽ Idololatram, regnoque proturbandam iteratis concionibus proclamare, vitam denique & mores meos tam fœdè traducere vt populorum in me odia, & ſiniſtra voluntas iam liquidò appareat. Vos ego per Deum obteſtor, perq. humanitatem, ſi quæ, abnegata vera fide, ſupereſt, quo tandem crimine fœdatam, cui

Digitized by Google

cui culpæ obnoxiam reperiſtis? nam veſtro in aſpectu, ac veſtris ſub oculis viuo: eam quidẽ Religionem profiteor, cuius nulla ſectariorum calumnia maieſtatem infringet. Sed quandoquidem ratione apud eos homines agere, qui illã contemnunt, ſuperuacuum ſit, ego maiorum meorum & vicinorũ Principum exemplo, non niſi à Catholicis Principibus Chriſtianæ ditionis Regna adminiſtrari debere ſciens, nunquam ab ea fide recedam, quam Patres noſtri tanta conſtantia defenderunt. Nec verbis tantum ſæuitum. Dauidem Riccium, qui mihi ab epiſtolis fidelem ſemper operam nauauit, priuatos intra parietes opem nequidquam implorantem iteratis ictibus me coram interficere auſi ſunt nonnulli, homicidium diſſimulaui, in idem diſcrimẽ

alij

alij) familiaribus meis addu-ctis: quid? nunquid non mihi ipſi tanquam captiua appoſiti cuſtodes? de nullo tamen ob tanta crimina facta inquiſitio eſt, & ſi qui rei comperti, in gratiã recepti ſunt. Tandem quod me miniſſe animus horret. Darleus *Maritus noſter e medio ſcelerata coniuratione ſublatus, in huius ſaltem mihi cedis autores animaduertere pro legum arbitrio ſtatutum: nec præſentium opera deerit, vt opinor: veſter honor, nobilitasque, Viri Illuſtres, in periculum adducentur, niſi iuſta de nocentibus vindicta ſumatur; quos ſi nulla in me charitas, ad defuncti manes ab iniuria vindicandos excitet, at certe regni huius ſpes reliqua Iacobus Princeps adhuc in cunis vagiens, & aſſiduis lacrimis orbitatem ſuam, ac meam viduitatem deplorans, ad*

Digitized by Google

ad pietatem flectat; hic a vobis Patrem, & teneræ ætatis requiſivit defenſorem, qui nec Matrem diu habere poterit, ſi tam libera in familiam regiam graſſandi erduellibus linquatur poteſtas: quod ſi neque Principi quidquam concedere vultis, Viduæ gemitus, et lacrimas pupilli admittite, & regnum hoc ſcelere, vos ipſos infamia liberate: nam dum tam manifeſti criminis nullus autor reperitur, omnes rei habendi. Reginæ orationem ingens Procerum fremitus, & indignatio ſequuta; erigere ſe in pedes, & de Parricidis ſupplicium expetere ſinguli, ac promittere: quantoque quis nocentior, tanto ad facinus deteſtandum pronior videbatur. Electus prævalentibus hæreticarũ partium ſuffragiis, ad Conquiſitionem faciendam Argatheliæ Comes, huius diligentiæ, an quod,

&

& ipſe inter conſcios eſſet, mul tum deſiderata;nam voce publi ca,& affixis tabulis vocatus Bo thuellus ad dicendam cauſam cum tota gẽtilitia ſtirpe (Scotis enim nobilibus in more poſitũ eſt tali comitatu ad tribunalia venire) die ſtatuto acceſſit; culpaque omnium iudicio liberatus, tantum à ſupplicio abfuit, vt non dubitarit Reginæ nuptias ab ijſdem, qui innocentem declararunt, in patrati ſceleris præmium expoſcere: nec mirum hoc erit legenti, ſi iudiciorum apud nos formulam verbo indicauero. ſupremus rerum capitalium Iudex, teſtiũ numerum nec certum habet, nec pro ſua volunte eos eligere poteſt, qui an factum videatur perſpiciant, quia hoc reo tribuitur, vt non niſi æqualis ſibi conditionis, & dignitatis admittat quoſque ſibi aliquo mo-

do

Digitized by Google

do infenſos putat, à teſtimonio ferendo reijciat. Sic facile eſt potenti, maxime dum accuſator deeſt, iudicia eludere. Dum anxia rei exitum præſtolatur Regina, veniunt e Senatu, qui eam vt finem mærori ponat, hortantur, ſuamque in Bothuelli cauſa cognoſcenda fidem oſtendunt, innocentiſſimum communi iudicio inuentum affirmantes. Tum Procerum nomine rogare, vt aliquem, ex nobilitate in Regni adminiſtrandi ſubſidium, ſuæque viduitatis leuamen aſſumat, id omnibus probari; quare tolleret ocyus rebus nouis occaſiones, omnemq. de extero Principe (cuius imperium ægerrimè laturi eſſent Scoti) adſciſcendo pelleret cogitationem, eſſe Bethuellum comitem tum bellica laude, tum animi, corporiſq. dotibus apud cunctos inſignem, huius vel nomini

mini ad ſubditos in officio continendos momenti plurimum ineſſe. Excanduit his auditis Regina, petijtque num adulterinas nuptias approbarent? Sed illi diuortium inter Comitem, & vxorem factum aſſeuerant: qua lege, inquit, Regina, ipſa viua coniuge licet vxorem ducere? Hæc ne deformati veſtri Euangelij dogmata? Sic infecta re dimiſſi paucos poſt dies redeunt, mortuam comitis vxorem nunciantes; tum illa importunitate victa deliberandi tempus rogauit. Sterlinum interim ad Principem Iacobum inuiſendum cōtendens, cum eodem breui ſpatio morata eſt, ex quo neſcires dolorem maiorem, an lætitiam hauriret: letabatur quidem ex filij aſpectu, quem vnicè diligebat, vt par erat, ſed dum viduitatem ſuam, puelli ætatem, ac miſerum regni ſtatum conſide-

rat,

Digitized by Google

rat, ſe infantemque in maximis conſtitutam periculis videt: verum hoc certum, plus optimam matrẽ de filij incolumitate, quam de propria fuiſſe ſollicitam. Sterlino redeunti Bothuellus cum armata militum manu fit obuiam, tabulaſque de ſuis cum ea nuptijs Procerum ſigillis munitas offert; has rogat vt Princeps aſſenſu proprio ſtabilire dignetur, nec differendum aiebat, cũ non ſine vtriuſq. ingenti diſcrimine necti moræ poſſent. Maria hoc ſtatu deprehenſa, quo neq. arma, neque artes, quibus reſiſteret, haberet ad manum, noſceretque impotentem Bothuelli ad quiduis audendum, ſi expectatione fruſtraretur animum, aſſenſit; prius tamen eum ſolemni ſacramento in Catholicorum verba, & fidei apud Scotos inſtaurandæ ſocietatem adegit; mox fidelitatis

iusiu-

Digitized by Google

iuſiurandum erga Reginam, & filium Principem nec rogatus, iurauit. Vt primum hæc ad ſectariorum aures delata,plebem ad conciones, & arma vocant, Bothuellum,qui dum puritaniſmum ſimulabat, mortalium innocētiſſimus cunctorum ſuffragijs declaratus fuit,ad apoſtolicam veritatem cōuerſum,apoſtatam,rebellem, ac regiæ cędis autorem proclamāt.nec mora; Exercitum Dumbarrum verſus Mortono,&Ruueno ducibus mouent, hoſtili non minus in Reginam ipſam,quam Bothuellum animo;qui inopinato furori impares, congreſſum ad pręſens differunt; verum vbi confluentibus ad regia ſigna Catholicis militum numerus augeri cæpit,caſtra prope Caberillum ad ſe potius defendendos,quam rebelles inuadendos metantur. Dum hinc,& inde in armis ſta-
ret

Digitized by Google

ret Miles, timerentque aduerſariorum robur ſectarij: mittunt, qui Reginæ indicet, nón aliam ob cauſam arma ſumpſiſſe Nobiles; quam vt eam Bothuelli tyrannide liberarent, Parricidii in Darlæum, aliorumque maieſtatis criminum rei: quæ vt ſubditorum parceret ſanguini, publicæque ſe quietis amantem oſtenderet, Bothuello id magnópere diſſuadenti, petentique vt ſibi innocentiam ſuam, vel ſingulari certamine probaturo daretur facultas, imperauit, hoſtium ſe poteſtati ſubduceret, donec nouum de eius cauſa fieret iudicium. ſic in Rebellium caſtra tranſiens Regina, ſe totã illorum voluntati commiſit. qui neglecta Bothuelli fuga (hunc enim nequitiæ totius, dóliq. indicem verebantur) Mariam Edinburgum tamquam in Triumphum ducunt, vexillum milita-

re

Digitized by Google

re præferentes, in quo Darlæi mortui depictum erat cadauer ac pone infantis Iacobi, vindictam à Deo expoſcentis imago: Sic tacite primum, manifeſtis deinde ſermonibus eam cędis in maritum patratæ inſimulant; quam non in Regiam de more, ſed in priuatas ędes, quas cuſtodia muniuere, comitati, ſequenti luce equo impoſitam, ac vili admodum veſte, ne cognoſceretur, indutam in Lauini lacus munitiſſimam arcem comitis Mortonij, aquis vndique per mille paſſus clauſã, humili cimba inuexere. Erat tum in Gallia, omnium, quæ acciderant, doloſus artifex Nothus, qui licet magnum de Reginæ captiuitate, ac ciuilibus bellis, Guiſiis Principibus monſtraret dolorem, Scotos tamen ad eam tollendam crebris hortabatur literis, negans ea viua in
E pa-

Digitized by Google

patriam ſe redire velle. In eandem ſententiam iuere cætera hæreticorum colluuies, reſque euentum ſortita fuiſſet; ni Eliſabetha Angla ſanius illis, quos maximè incolumes ſemper cupiebat, ſuggeſſiſſet conſilium; ſcilicet vt Mariam ſe regno abdicare, ac omne dominij ius in Iacobum Principem transferre cogerent, ita ſecurius longe, abſque vlla violatæ Maieſtatis noxa in priuatam arcturos, quã ſi Regni titulum, dignitatemq. retineat. Placuit ſummopere rebellibus commentum; & Regina ne vllam ſeſe ex perditiſſimorum hominum manibus liberandi occaſionem prætermitteret, publicis tabulis iuri ſuo renunciauit. Tum illi, qui non aliam impietati ſuæ remoram, quam regiam auctoritatem hactenus experti fuere, eandem in poſterum ad omnem nequitiã

pro-

Digitized by Google

promouendam,oblatam rati;Ia
cobum Principem infantem
adhuc,conuocatis regni ordini
bus corona, ſceptroque ornatũ
ſextum eius nominis procla-
marunt : cuius tenerã ætatem
à Catholicorum aſpectu, non
minus quam à lethali peſte tu
rati,cuncta eius nomine in Re-
ligionis odium geſſere ; atque
illud in primis ſtabilitum, vt
nulla Catholicis in Scotia vl-
tra viuendi linqueretur facul-
tas,quorum bona in fiſcum re-
lata, ipſi exulare cogebantur.
ſic qui paulo prius fidei cauſa
nullius conſcientiæ vim facien
dam, ſed liberam Chriſtianis
pro arbitrio credendi veniam
ſupplicibus libellis expetierũt
viribus numeroque ſuperiores,
tollendam libertatem, ſolam
hæreſis profeſſionem toleran-
dam, armis in orthodoxos,
adeoque in Reginam ipſam
E 2 agen-

Digitized by Google

agendum ſtatuerunt. Viderint hinc Politici, quam bene Regibus, ac Rebuſpublicis cõſulant, dum tolerandam hæreticorum ſocietatem contendunt, ferendamque, ac ſpernendam potius, quam caſtigandã paucitatem, hos Deum aut non agnoſcere, aut non recte colere neceſſum eſt; talium niſi conſilijs paruiſſet Maria Stuarta, omnium, in quas incidit, moleſtiarum expers, vitam ad extremam ſenectutem, non minus fæliciter, quam pacificè produxiſſet. Verum ad carcerem, in quo cõtra ius, faſque detinebatur redeo; huc Nothus, in quem Regis tutela ex hæreticorum aſſenſu translata fuit, veniens, omnem captiuæ fidem, & obſequium ſubdolus proditor offert; negat tamen eius liberandæ poteſtatem in manu ſua poſitam eſſe, ſolito abeuntem, pro innata ſi-

bi

Digitized by Google

bi humanitate, alloquio digna-
ta Regina, admonuit, vt præte-
ritorum memoriam, & præſen-
tium recordationem renouaret.
Sed cum nulla verborum aut
promiſſorum ſuauitas efferum
& ad ipſa beneficia obduratum
animum flectere valeret, reper
tus eſt inter hoſtes, qui tantæ
maieſtatis, virtutiſque miſer-
tus, fidelem ad Principem libe-
randam manum porrexerit. is
Georgius Duglaſius, eius, ad
quem arx ſpectabat, frater, ſaga
cis conſilij, & raræ fortitudinis
uir, qui adoleſcentem quendã
nomine Gulielmum, Mariæ
pincernam arctiſſimo ſibi ami-
citiæ vinculo obſtrictum, in e-
gregii facinoris ſocietatem pel
lexit: quod ille adeo nõ eſt aſ-
pernatus, vt operam ſuam tam
piæ cauſæ etiam cum vitæ diſ-
pendio lætus obtulerit. Dictus
eſt fugæ dies, quo ſplendidum
E 3 in

Digitized by Google

in arce epulum cum nobilibus aliquot celebraturus erat præfectus, ad quod comiter inuitata Regina morbum, ne interesset, ſimulauit, & virili aſſumpto habitu, dum vino conuiuas ab omni grauiore negotio auocatos, & in riſũ, & iocos ex hilaritate ſolutos, fido ducis indicio intellexiſſet, per medium cænaculum, quatuorque arcis ſtationes intrepida pergens, in lembum à Georgio Duglaſio ad eam recipiendam tranſmiſſum deſcendit, viam vbique monſtrante Gulielmo, cuius prudens commentum omnem cuſtodibus inſequendi ſpem abſtulit; nam ianuis ſingulis, per quas tranſierat Regina, diligenter obſeratis, claues in profundum lacus demerſit, ſic fugientes ægris nequidquam oculis proſecuti ſunt iam ipſi captiui vigiles, donec eos in mediam æqui-

Digitized by Google

æquitum turmam ſuſcipiens Georgius Duglaſius ex arcis conſpectu deduxit.vbi comperta Notho Reginę fuga quantas potuit copias ad eam inſequendam repente contraxit non ſuo ſed Regis nomine, quo magis propitijs vulgi animis, & linguis exciperetur,quod geſturus erat,bellum. VerumHamiltonij quibus notæ Aduerſariorum fraudes,ad Mariam confugere, rati optimum erga Regem obſequium Parentis innocentiam propugnare; his acceſſerunt Leslæi, Setonij,Leuinſtonij, Flaminij, alijque, quibus vel Religionis in Deum, vel pietatis in Principem ſcintilla reſtabat. Cunctis placuit antequam belli fortunam experirentur, Reginam Britonodunum arcem inexpugnabilem deducere, vt ibi ſalua,ſecuraq vtriq.caſui ſupereſſet. At præclarum conſi-

Digitized by Google

lium turpiſſima proditio retardauit; nam edoctus per exploratorem Nothus quid Reginæ in caſtris ageretur, iter quo trãſeũdũ erat, occupauit, ita ad pugnãdũ regios nec loco, nec numero pares (Huntlæi .n. Comitis, & Ogilbeorũ præſtolabantur aduentum) compulit; in ipſo congreſſu Simplius Baro, qui primam aciem ducebat, morbo caduco, quem Epilepſiã vocant, correptus, magnam inter ſuos confuſionem peperit, & Nothus tempori ſeruiens viſa noſtrorum perturbatione, magna celeritate exercitum promouit; venientem non animis, ſed Duce minores inuaſere regij: magna vtrimque pertinacia, & contentione pugnatum, his pro Deo, & Principe, illis pro vita, & fortunis, vtriſq. pro honore certantibus: diu in ambiguo res fuit, pellentibus

ſe

ſe inuicem pulſiſque, vbi fractæ haſtæ cominus enſibus, pugionibus, fragmentis lancearum, & quodcunq. furor aut hoſtilis rabies miniſtrabat, mutuo ſe ſe petiere, donec victoria tandem ad ſectarios inclinauit: cruentum ſane victoribus, victiſque certamen: ex ſola Hamiltoniorum gente, quos rara in Mariam fides immortalitate donabit, ſeptem, & quinquaginta deſiderati; ac totidem ſupra viginti capti fuerunt, atque hi omnes nobiles. hinc facile ingentem ex gregario milite numerum captum, aut internecione deletum conijcere licet. Regina poſtquam ſingulari cum dolore aduerſum hunc ſuorum caſum ſpectauerat, cum equitibus aliquot, qui integri ex acie remanſerant ſe ſe in tutum recipiens, cum fidiſſimis amicorum de ſua ex Scotia profectio

Digitized by Google

ne conſulcat;nam factioſæ nobi
litati, & corruptæ plebi, quam
virulenta dicacitate Cacange-
lij Miniſtri ad omne flagitium
impellerent, ipſa ſibi impar vi-
debatur. Placuit cunctis emi-
gratio, verum dum aliqui Gal-
liam, Belgium alij, Hiſpaniam
nonnulli petendam ſuadent, Ma
riæ, omnium poſt habito con-
ſilio in Angliam ad Eliſabethã
ſecedere viſum, nec vllis preci-
bus, aut lachrimis à propoſito
diuelli potuit. Ioannes Hamil-
tonius Santandreanus Archie-
piſcopus eximiæ vir prudẽtiæ,
incorruptæque erga Principem
fidei, multis ad iter illud remo
randum adductis, quæ ego, ne
odiorum inter amicas gentes
cauſas renouẽ, prętereo, dum ni
hil ſe proficere videt, chyrogra
phũ a Regina, dati, ſpretiq. cõ-
ſilij teſtẽ impetrat. Illa præmiſ
ſis Flaminio, & Herreſio aduẽtus
ſui

ſui nuncijs, Londinum verſus progreditur: quo cognito Eliſabetha Franciſcum Cnollium, militum Tribunum obuiam venienti mittit, rogatque vt Carleli dum regiæ maieſtati conueniēs ad eā recipiendam inſtruitur apparatus, ſubſiſtere velit: quod Maria doli neſcia in optimam partem, & ciuiliter interpretata, appoſiti mox cuſtodes, ne in hoſtium manus incideret, vel potius vt nulla ex hoſtium manibus euadendi reſtaret via, aliquam, ſed leuem futurę captiuitatis ſuſpicionem miſeræ Principis animo malorum preſago ingeſſere; tandem vbi Carlæolo Bortonum a Scrupo limitaneo præfecto Eliſabethæ iuſſu deducta, arctius ſe, quam Maieſtas pateretur, cuſtodiri animaduertit, nimiam ſuam incuſare credulitatem, & Hamiltonij Præſulis ſeram ad auxilium

Digitized by Google

lium fidem inuocare,eaque omnia, quæ ipſe prædixerat, tanquam iam initium ſumpſiſſent vereri. Northus interea vbi Reginam in Angliæ poteſtate conſtitutam intellexit, omnes,qui eius partibus fauebant,indictis comitijs vocari, & Maieſtatis crimine damnatos bonis exui, pellique in exilium imperat; ſed crudelis apoſtatæ tyramnidi reſtitere Hamiltonij, cauſæ regię acerrimi propugnatores, Huntlæi Comes,& alij,qui tantum aduerſariis incuſſere terrorem, vt viribus ſuis diffiſi ſubſidium ab Eliſabetha petierint: hæc militem conſcribere verita, ne Angliæ tranquillitas incerto exitu turbaretur,à Maria Regina, cuius prona etiam in hoſtes benignitas, impetrauit, vt Catholicos ad arma deponenda per literas induceret. habitus poſt hæc celebris Edinburgi

Digitized by Google

burgi conuentus, in quo, cum nihil actum eſſet, his libertatē, illis vindictam de Regina poſcentibus, Eliſabetha omnium rerum ad ſe vocato arbitrio, iudicis partes obtinuit; & Maria ad dicendam coram ea cauſam inuitata, primo negauit ſe eius aut vllius, præterquam Dei ac Chriſti vicarii ſubeſſe iudicio; dein per Legatos ſuos, quæ de cæde Darlæi, (cuius ſe vindices, qui autores erant, ferebāt) obiecta erant, tanta facilitate deleuit, vt tantum ab omni ſuſpicione, illorum qui aderant iudicio, abfuerit, quantum à ſcelere ipſo fuit aliena. Egerrime tam luculentum de Mariæ innocentia ferens teſtimonium Eliſabetha, quo tolerabilior ſua in ea detinenda perfidia appareret, veritatem ſupprimi, ac ficta plurima in vulgus ſpargi curauit. Quare Georgius Bucha-

cha-

Digitized by Google

chananus primum Caluini par tiarius, tum Athæus, famoſum libellum contra Principem ſuã, quam fælicem, & rebus ſecundis fruentem in cęlum vſq. laudibus extulerat, venali calamo conſcripſit, in quo totidem mẽdacia, quot periodos inſigni nequitia procudens, egregiè ſe acceptam à Iacobo V. Mariæ Patre Catholicæ veritatis ſtudioſiſſimo iniuriam vindicare putauit, cuius decreto propter hæreſim iam pridem Scotia exulare coactus fuerat. Idẽ poſtea librum de iure Regni apud Scotos edidit, non alio fine, quam vt omnia de Religione erga Deum, & fide in Principes dubia apud noſtrates facere: cuius ſcripta ab ipſiſmet hæreticis, quos humanitas, aut verecundia omnino non deſeruit, condemnãtur. Maria cum abunde per legatos reiectis aduer-

aduerſariorum calumniis, nullam libertatis ſpem affulgere cerneret, Eliſabetham nodum in ſcirpo, quod aiunt, quærere ſuſpicata, omnes cogitationes ad diuinum ſibi propitiandum numen conuertens, tota in Chriſtianæ pietatis exercitia incubuit, ieiunia fuerunt crebra, orationes frequentes, quotidiana pęne conſcientiæ expurgatio, & quoties licebat, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ præceptio: tales ſcilicet fructus ex peſſimis mortalium ſceleribus elicere ſolet diuina bonitas. cū priora non ex voto ſuceſſiſſe, Mariamque quæ de Mariti nece ficta erant, nullo negotio detersiſſe intelligeret Nothus, ad nouos dolos, vt erat ingenio ad flagitia compoſito, reuerſus matrimonium inter eam, & Norfolcię Ducem, re prius cum Eliſabetha communicata, tractare orſus

Digitized by Google

orſus, non quieuit, donec miſer Dux, uir ob auctoritatem, optimumque erga Orthodoxos animum vt Mariæ charus, ſic Eliſabethæ inuiſus, in Londinenſi turre ſecuri percuſſus interiit nec effuſus per nefas innocentis cruor ad emolliendam barbaram ſpurii mentem valuit, cui aliud mox ſcelus in Patriæ ſtirpiſque regiæ exitium (his enim ſaluis nil actum rebatur) ſuccurrit: Iacobum Principem Eliſabethæ tradere, ipſe viciſſim Mariam in ſuam accipere poteſtatem; ſed immanitas criminum impii, rebellis, ac fœdifragi apoſtatæ eo excreuerat, vt cęlo ſoloque grauis, vlterius minime ferenda videretur. Quare Iacobus Hamiltonius (cuius familiā vt Reginæ fidā maximis affligere vulneribus pergebat Nothus) vir nobilis, ſed Caluini aſſecla, Stirlinum

multis

multis latera ſtipantibus ingredientem, glãde plumbea paulo infra vmbilicum transfixum equo deiecit: ita infælix,deuotã ſæpius diris animam, magnis clamoribus, obſecrationibus, & minis vindictam nequidquam ingeminãs, efflauit. Hunc virum omnium mortalium teterrimum mõſtrum Hęretici tanquam Abrahamum aliquem luxere, famæq. ipſius tanta pertinacia apud vulgus ſunt patrocinati, vt ad hodiernum vſque diem bonus regens dicatur. Eliſabetha dolorem ex Nothi morte vtcunque celans, Suffoxiæ comitem cum decem armatorum millibus ad Scotię limites miſit; & ne ſubita aliqua vis inde ingrueret, ſimulat ſe cũ Maria trãſigere velle, iniquiſſimis tamẽ cõditionibus; nam inter alia petere non dubitauit, vt Catholica Prin-

ceps

ceps à Romana ſide diſcederet, ſilium cum aliquot Regni proceribus in Angliam obſidum loco mitteret, Scotiçque Regum Maieſtatem Anglorum ſubiiceret libidini. has cum virili animo recuſaſſet Maria, vitam, & dignitatem religione, ac poſterorum libertate minorem æſtimans, non Eliſabetham modo, ſed quotquot hęreſi infecti erant grauiſſimo in ſe odio accendit. Acceſſit præ ceteris Reginæ miſeriis de captiuitatę Iacobi principis nuncius (ſuum enim, ac ſolemne puritanis eſt, auctoritatem legitimã nõ agnoſcere, nullam ætatis, aut conditionis, vbi viribus pollent, rationem habere) quem niſi breui liberatum intellexiſſet, ſe ſe procul dubio mæroris impotentia confecisſet; nam præter maternum affectum, ſpem magnam reſtituendæ

dæ

dæ olim ab eo in Britannia fidei habebat, nec dubitauit depicti in cubiculo audientibus famulis ſępius alloqui effigiem, hortarique ad maiorum gloriam virtute, & pietate emulandã. Verum quanto ardentius religionis ſtudium prodebat Maria, tanto grauiorem Eliſabethæ indignationem in ſe conçitabat, quæ non niſi leuem aliquam violatę legis vmbram ad innocentem perdendam expiſcabatur; cumque nulla, ex iis, quas maiores ſanxerunt, ad iniquam condemnationem ſufficeret, ipſa nouam in publicis Regni comitiis tulit, quæ tanta arte, fraudeque conſcripta, vt ſi quis contra nouam ſanctionem Mariæ quacunque ratione addictus aliquid cõmiſiſſet, in Mariam culpa omnis deriuari poſſet, ipſa peteretur, & in periculum adduceretur, adductaque

tan-

tandem his dolis in extremum diſcrimen periit. Decretum, ni fallor, ſic habet. *Cum ſalus huius Regni ſecundum Deum, in Reginæ incolumitate potiſſimum conſiſtat, & vero manifeſtum ſit, quæ conſilia, & conatus nuper tam extra, quam intra hoc regnum, non ſolum contra Reginæ perſonam, et vitam, ſed etiam in certiſſimam Reipublicæ perniciem ſuſcepta fuerint. Propterea vt tantis periculis obuiam eatur, rogantibus trium ordinum ad hæc comitia legatis, communi Parlamenti auctoritate decretum eſt, vt ſi poſt hac in Regnis Reginæ noſtræ imperio ſubiectis quacunque rebellio excitata, aut alia eiuſmodi conſpirationes initæ fuerint, quæ vel ad Reginæ perſonam, ac Maieſtatem lædendã, in fauorem cuiuſcunq. qui ius aliquod poſt mortem Reginæ*

in

in hoc Regnum ſibi vindicet, vel ad Regni ſtatum perturbandum pertineant, viginti quatuor Iudices e cõſilio priuato, ac Procerum ordine, vt & curiali ſenatu, quem recordationis appellant, à Regina nominandi poteſtatem habeant vi huius decreti de iſtis, ac ſimilibus cognoſcendi, & poſt diligentem examinationem ſententiam pronunciandi, ac reos damnandi. Qui damnati hoc modo fuerint, eos omni ſuo iure, quod alias prætendere poterãt, priuatos, ac regni huius incapaces pronunciamus &c. Subodorata quippe fuerat Eliſabetha Catholicos nonnullos de Maria liberanda ſatagere, quos niſi in diuerſa ſtudia religioſorum quorundam factiones traxiſſent, nec impiæ ſecuri ſacrum collum ſubieciſſet Maria, nec Britanniam tanto tempore hę-

reſis

reſis vaſtaſſet; ſed quia rerum ſuarum incrementa, non Dei gloriam iſti quærebant, mirum non fuit eos adeo à ſana mente deflexiſſe, vt ſolemnium, quib. Mundo renunciauere, votorum obliti, Anglicani ſceptri collationem ad ſe humili licet natos loco, nec vlla autoritate aut dignitate inſignes ſpectare credentes, id non Scotæ licet hæredi, & Catholicæ, ſed extero alicui Principi tradendum iudicauerint, nec ſine talium, quod ſcribere pudet, conſilio, proditis his, qui de Maria liberanda cogitabant, manus iniectæ. Aliqui quæſtionum doloribus tormentiſque impares, vt citius vexationem redimerent, non quæ ſciebant, ſed quæ interrogabantur conſiteri non erubuerunt. feſtinaſſetque talium confeſſio Mariæ interitum, niſi Lamotta Chriſtianiſſimi Regis lega-

legatus ſe ſe imminenti diſcrimini oppoſuiſſet: verum durius multo vitæ reliquum quauis morte eſſe cepit; Nam Tiquishallam claudentibus agmen ſatellitibus deducta, chariſſimorum miniſtrorum, & familiarium ęgre ferens abſentiam, ægerrime captiuitatem, ibi ad dies aliquot ſubſiſtere coacta fuit, donec conclauia, arcę, ſcrinia obſignata primum, tum exhauſta, ſublatis maximi momēti tabulis. Interpoſitis aliquot diebus Chartelium multis ſtipantibus proficiſci cogitur; quā licet morbum excuſantem adit Amias Paulettus cuſtodiæ Præfectus, rogatque pecunias (quibus eam multos corrumpere, & ad rebellionem euocare fama erat) ſibi tradi. Nec vllus tam hebeti erat ingenio, qui non cerneret, quò hæc Eliſabethæ ſpectarent conſilia, nempe vt

inſe-

Digitized by Google

i felicem Reginam omnibus bonis ſpoliatam vita tandem priuaret. Tanta interim Mariæ in cunctis erat moderatio, conſtantiaque, vt poſt diuturnum carcerem, iniurias crebras, & continuam vexationẽ (ego enim plurium annorum labores, & faſtidia, vnica periodo abſoluere cogor, ne lectori meo doloris indices lacrimas eliciam) nihil vnquam vehementius in Eliſabetham protulit, quam, *Hac dextra fideſque? ſic nos in ſceptra reponis?* aliç, atque aliæ in dies machinationes, & certa accuſare volentibus præmia, ficta crimina excogitabantur, quæ præſentem quamuis crearent moleſtiam, progreſſu temporis maiore facilitate pro falſis innoteſcebant, quam pro veris initio proponebantur. & Maria nil aliud conſolantibus reſpondebat,

bat, quam Ieſus Rex noſter innocens, & peccandi neſcius tanquam reus ad ſupplicium ductus fuit; ſi neceſſarium ad ſalutem eſſet non accuſati, ipſe calumniantium ſe linguas excidiſſet, ſin ille opprobria, quem de leuiſſimo peccato nemo accuſare potuit, libenter pro me his grauiora tulit, cur non & ego, quæ toties diuinam iram prouocaui ſceleribus meis, quædã pro ipſo patienter ſaltem, & ſine querela feram? ſcripſit quoque præter conſolatorias ad amicos literas, egregios de Chriſti vita, & paſſione, de cœleſti gloria, & virtutum amore, rythmos idiomate Gallico, qui ob ſuauiſſimum eius genium illuſtrium virorum manibus magna cum voluptate, & vtilitate teruntur. Sic nullam horam, ſi quam à barbara hæreticorum importunitate liberam habe-

bat, abſque ingenti aliquo ſpiritus fructu tranſigebat. Dum promiſcuus familiarium, & amicorum congreſſus dabatur, iucundè cum his, nec minus placide dum ſola eſſet viuebat: ita vt capacem vtriuſque fortunæ, & ad omnia compoſitam, & facilem tributam ei à Deo mentem dicere poſſimus. Longum eſſet ſingula proſequi, & propoſitum mihi ad extrema feſtinare, quæ licet ingenti noſtro cum dolore, non tamen abſque immortali Mariæ gloria memorabuntur. Eliſabetha dum priuatis accuſationibus nihil contra innocentem, quo vel apud vulgus excuſabilem eius necem efficeret, extorquere ſe poſſe exiſtimabat, cōſiliarios aliquot Frodringhamum, quo iam redierat, delegans, imperat, vt iudicium exerceant, nocentemq. ſeu iure,

ſeu iniuria dicant. Hoc vbi Mariæ per Pauletum & ex ipſis Eliſabethæ literis compertum, agere ſe immortales diuinæ bonitati grates profeſſa eſt, qui plures innocentiæ ſuæ teſtes attuliſſet, qua cognita floccipendere ſe, vtram in partem ferant ſententiam. Iudices in ſpacioſo arcis cænaculo non longe à conclaui ſuo intelligens conſediſſe, nulla interpoſita mora ingreditur, habitu modeſto ac vultu ſereno, velo caput operta, talarem tunicam, cuius ſyrma pediſſequa ſuſtinebat, induta, in ſella holoſerico ſtrata, circumſtantibus quibuſdam e gynecæo, Aulæ Præfecto, & Medico, recubuit. Poſtquam Regni Cancellarius longa oratione conuentus cauſam expoſuiſſet, ad Reginam conuerſus peſiit, vt commiſſionis, & mandatorum capita agnoſceret, proferretq.

Digitized by Google

ferretq. ſi quæ ad defenſionem ſuam appoſita haberet. Tum illa, *Optime quidem tu conuentus huius cauſam reddidiſſes, D. Cancellarie, ſi Reginæ tuæ voluntatem, eamque ſolam pro ratione attuliſſes; quæ niſi me iteratis literis, & mutuis amicitiæ, beneuolentiæq. pignorib. in Angliam inuitaſſet, nec ipſa quod de me ſuſpicaretur, nec ego quod de ipſa quærerer, haberem. Verum cum ad præſentem ſtatum me mea deduxerit credulitas, Deum, & Cœlites teſtor, voſque qui hic præſentes eſtis, Viri nobiles, Mariam Stuartam non vno titulo Reginam, adeoque liberam, hiſce licet carceribus incluſam, neque Eliſabethæ, neque veſtram, neque vllam præter immortalis Dei; eiuſque in terris Vicarij Romani Pontificis autoritatem ſibi confiteri,*

*aut poſſe, aut velle ſuperiorem,
capita itaque mandatorum
veſtrorum non agnoſco, patroci
nabor tamen innocentiæ meæ,
vt non minus ab omni crimi-
nis vmbra abeſſe iudicer, quam
ab ipſo crimine abeſſe ſẽper ſtu
dui. Quæ nuper de Mariti mei
Darlei mihi lõge funeſtiſſima
cæde obiecta fuere, ita per lega-
tos purgaui, vt aduerſarij ipſi,
quorum præcipuos diuina pu-
niuit iuſtitia, tam manifeſtæ
calumniæ rubore perfuſi ab
accuſationis incepto ſponte
deſtiterint. Mox vbi fruſtra
ex Scotia peti in me crimina vi
dit Eliſabetha, cepit alio cogi-
tationes flectere, meque affecta
ti Anglicani regni inſimulare;
huius delicti qualia afferantur
indicia perpendamus. Dum in
Gallia, inquit, eſſes, Angliæ in
ſignia in ſupellectile vſurpaſti,
ſed id Henrici ſoceri mei, non
meo factum imperio omnes fa-*

 ten-

Digitized by Google

tentur. Cur ſaltem poſt reditum in Scotiam ea non ſuſtuliſti? qui precor id facerem, dum Eliſabetha me ſibi cognatione proximam, & Anglicani ſceptri hæredem non negat? fert & ipſa Galliæ inſignia, titulumque admittit, cum tamen in ea nihil vnquam niſi armorum vi habitura ſit, ſed quia me ream in Anglia factam, ideoq. legibus veſtris ſubiectam eſſe contenditis, vobis incumbit probatio. Nam dicere me regnum hoc viua Regina appetiiſſe, nec qua ratione id fecerim, probare, multum à culpa diſtare, ne dum à ſcelere videtur. Quod ſi virium ad Scotiã contra rebellium conatus muniendam habuiſſem ſatis, vero ſimilior, non vera tamen eſſet accuſatio, iam vero cum ad proprium regnum mihi à centum, & quinque Regibus maioribus

meis

meis relictum, tutandum non ſufficiam, quomodo Eliſabethā populorum beneuolentia, & armorum præſidio optimè ſeptam Angliæ Scotico nomini inimiciſſimâ eiectam? mene adeo decipere putatis, vt æquiorem Angliam in me, quam Scotia fuerit, ſperem? præſertim cum eadem rebellionis, & perfidiæ origo hæreſis vtrumque regnum, & latius forte Angliam hactenus inuaſerit. Catholici aliqui, illique perpauci, cæteris in diuerſa trahentibus, in dignitate conditionis meæ, & innocentia permoti libertatem mihi ipſos ſeptemdecim annos fruſtra optarunt, an illorum in arbitrio Anglicani Regni largitionem creditis, qui nec captiuā liberare, nec ſeſe ab hæretica tyrannide defendere fortunis vitaque ſpoliati valuerunt? Si exteri Principes de ſalute mea

fuerunt ſolliciti, laudem quidem ipſi apud poſteros ob humanitatem merebuntur, ego interim crimine vacabo. Ex carceribus ſæpe veſtris me ſubducere tentaui, quid aliud Regina, quam quod miſera cuique condonandum eſt, commiſi? Diſplicet forte Eliſabethæ, quod ego conditiones quibus me olim dimittere cupiebat, non admiſerim: Non admiſiſſe me fateor, nec vnquam admittam; Iniqua quippe erant, & diuinis humaniſque legibus contraria. Nā Scotiæ Regnū Iacobo filio meo titulum, quod ſemper fuit, relinquam, nec à Catholica veritate vllis pœnis, ſuppliciis, vel latum vnguem recedam, cū maiorem nullam præſentium miſeriarum cauſam inueniam, quam quod lenitate nimia Dei & Eccleſiæ hoſtes poſt recentē meum in Scotiam reditum tolerauerim.

lerauerim, quos malo meo debellare diſcant Principes Catholici, aut ab iis debellabũtur. In alijs omnibus non recuſa ſe ipſius Eliſabethæ iudicio ſtare. Babingtonũ, ſexque alios, quos à me ad eam interficiendam transmiſſos aſſeritis, nunquam aut facie, aut fama cognoui: Ballardus quidem ex literis amicorum ex Gallia mihi innotuit, nec aliter; quem vbi VVelſingamo, qui mihi, & filio meo infeſiſſimus eſt, audiui familiarẽ, conieci illico, non talem eſſe, qualem ſe in tranſmarinis regionibus geſſerat. Sed quid ego rationibus certo, vbi nullus rationi locus? Deũ veneror, precorq; vt mihi contra omnia ficta veſtra crimina patientiam, & veram in Catholica fide, pro qua libenter vitam expono, tribuat conſtantiam. Vos interim, Viri Illuſtres, agite, talem in me ferte

Digitized by Google

tentiam, qualem à iuſto omnium iudice Deo in vita termino expectatis. Vix finem dicendi fecerat, cum Cancellarius eam neceſſitate compulſam in Angliam veniſſe, nullumque ab Eliſabetha promiſſum auxiliũ. Cui illa: non tanta cum fiducia iſta diceres, D. Cancellarie, niſi ſcires Eliſabethæ literas, eorum, quæ à me dicta ſunt teſtes in veſtra eſſe poteſtate. Producta deinde varia chirographa, quibus licet nihil contra innocentem contineretur, cœperunt aliqui eam ad criminis iam manifeſtiſſimi confeſſionẽ, & Eliſabethæ implorandam clementiam hortari: ad quos conuerſa ſi mea, inquit, confeſſio vobis ſufficit, ijs quæ dicta ſunt fidem habete, ſin minus, nolite vltra vobis mihique inanibus illis nugis moleſtiam creare. His dictis precata iudicibus ſalutem,

lutem, ac ſeſe in conclaue recipiens, noctem totam fundendis ad Deũ orationibus impẽdit, & quo durius ſe ab hominib. tractari, eo ſtabilem magis in diuina miſericordia ſpem locã dam rata, impenſius omnibus pietatis officiis ſtudebat. Paucos poſt dies miſſi Londino Buchorſtus, & Beslæus, qui vna cum Pauletto, & Drurio Mariam accedentes monent, vt quãdoquidem inſidiarum Reginæ ſtructarum coſentientibus iudicum ſententiis damnata fuerit, ſeſe ad mortem quam citiſſimè ſubeundam diligenter cõparet. Accepit hos ſermones Maria non minore vultus, quã animi cõſtantia, habitiſq. Deo, qui talem diutinis miſeriis finem attuliſſet gratiis, Beslæum de ſororis ſuæ incolumitate comiter interrogat, ad quam ille, valet, inquit, Eliſabetha, teq. ò

Digitized by Google

Regina amare nō deſtitit;nā la
tam à Parlamento ſententiam
ipſa hactenus exequi vetuit, vt
melius te ad mortem præpa-
res. Tum Maria egregia certe
amoris indicia profers, Beſ-
læe,quod ſi moriendum eſt, cur
non pecunia funeris ſumptibus
deſtinata redditur,& chartę ad
ſuprema ordinanda iudicia ne-
ceſſariæ? ſcriptis poſtera luce
ad Eliſabetham literis innocen
tiam ſuam luculenter declara-
uit, petiitque ſaltem, vt ablata
ſibi reſtitui curaret,& libera fa
miliaribus ex Anglia commi-
grandi linqueretur facultas;
ipſam quoq. ad ſaniorem men-
tem, & Catholicæ Religionis
profeſſionem non vulgaribus
argumentis eſt adhortata. Poſt
quam Buchorſtus, & Beſlæus
diſceſſere, Mariæ cubiculum
ingreſſus Paulettus inſignia re-
gia abſtulit; quorum loco illa

appenſam Saluatoris ex cruce pendentis effigiem, regalius longe ornamentum, ſummiſſo poplite adorauit. Hæc Frodringami, ſed Ricemandæ ſubito ac rediere Commiſſarij, ſententia mortis in Mariam publicata fuit prid. Non. Decemb. An. MD XXCVI. & mandatum ad comites circa Frodringamum de exequenda in damnatam ſẽtentia miſſum; quod apponere volui, vt Mundo toti liqueat, ſolam Catholicam fidem innocenti Principi exitij cauſam extitiſſe, cætera vero omnia non niſi ad inuidiam declinandam obtenta. *Eliſabetha per Dei gratiam Angliæ, Frãciæ, & Hiberniæ Regina, fidei defenſatrix fidelibus noſtris dilectis, & cognatis, Georgio comiti Sarisburienſi Magno Angliæ Mariſcalco, Henrico comiti Cantÿ, Henrico comiti Derliẽſi, Georgio*

gio Cumbriæ comiti, Henrico comiti Pembrochæ ſalutem. Viſa ſententia à nobis, & conſiliarijs noſtris, nobilibus, & iudicibus contra Mariam quõdam Scotiæ Reginam, Iacobi V. Scotiæ quondam Regis filiam, & hæredem, Francorum Regis Viduam lata, et ab omnibus regni noſtri ſtatibus in nuper habito Parlamento nõ concluſa ſolum, ſed poſt maturam deliberationem tanquam iuſta, & legitima confirmata, viſis etiam aſſiduis ſubditorum noſtrorum precib. rogantium nos, ac ſolicitantiũ vt non modo ad publicationem, eiusdem ſententiæ contra perſonam prædictæ Mariæ procedamus, cum in longiore eius detentione, certo, & euidenter non vita ſolum noſtra, ſed, & ipſi ſubditi eorumque poſteri, atque adeo publicus Regni ſtatus, tam quod ad Euangelium, et veram

Chri-

Chriſtianam religionem, qua n quod ad pacem, & tranquillitatem attinet periclitentur: poſt multas dilationes tandem dictã illam ſententiam promulgari iuſſimus; hactenus vero, ab eius exequendæ dandis mandatis abſtinuimus; licet interea à Parlamenti noſtri ſtatibus quotidie moneremur, omnes noſtros ſubditos tam ex nobilitate, quã alijs ordinibus, pro ea, qua vitam noſtram, quique ex ea dependet, fælicem regni huius ſtatum, complectuntur cura, nihil magis, petere ac deſiderare, quam vt prædicta ſententia executioni mandetur. Quamuis autẽ aſſidua illa flagitatiões, preces, & conſilia, cum naturali noſtra inclinatione, & benignitate pugnarent, tamen victi tandem tam ipſorum precibus ad vitæ noſtræ ſecuritatem ſolũ modo ſpectantibus, quam pu-

blici

Digitized by Google

plici, ac priuati in regno noſtro
ſtatus reſpectu, conſenſimus, vt
iuſtitia curſus vltra non inbi-
beretur. Eoque vobis tanquam
nobiliſſimis, ac præcipuis regni
noſtri membris mandamus, vt
viſis his quã primum vos Fre-
dringamum conferatis, & præ
ſentibus Anna Pauletto arcis
Præfecto, alÿſque Regni noſtri
officiarÿs ſæpe dictam illam ſen
tentiam quo vobis videbitur lo
co, tempore, ac modo in perſona
dictæ Mariæ exequutioni man
debis: non obſtantibus quibuſ-
cunq. legibus, aut contrarÿ iuſ-
ſionibus &c. Grenouici Kal.
Febr. Regni noſtri XXIX. La-
tam iam à tribus menſibus, an-
tequam mandatum hoc editũ
fuit, ſententiam, vt intellexit
Henricus III. Galliæ Rex, Pom-
ponium Belliuerium in Angliã
miſit, facturũ periculũ, ſi quod
tandem deſperatis rebus affer-

ri

ri poſſet remedium; qui ægre poſt diutinam moram, cõtagioſam luem Pariſiis graſſari clamantibus hæreticis, ad Reginã introductus legationis ſummã expoſuit: *Regem ſuum, Galliãque vniuerſam, non abſque ratione de Maria Stuarta Scotiæ Reginæ, Galliæ quondam diademate, fratriſque decorata coniugio, curam gerere, mirari parro ac dubitare, num verum eſſet, latam in eam mortis ſententiã, rem certe ante inauditam; & quæ male Eliſabethæ ipſi ſecũrã videretur. Regiam maieſtatẽ quã apud gentes etiam barbaras ſacram haberi, nec vllius praetextu legis violandã. Quod ſi minus exempli nouitate moueatur, praeſentem ſaltem rerum ſtatum perpendat; Mariam enim tam Gallorum, quã Scotorum arma ab Anglia depellere. notum praeterea omnib. eam non inuidia aut odio ſoro-*

ris

ris ſua vitam expetere, ſed fa-
ctioſorum hominum, ſucceſſio-
nem Mariæ inuidentium, conſi
lijs ad peſſimum facinus impel-
li; non æquum eſſe, aut ferendū
vt Regiae coronae ſubditorum
libidini exponãtur; quibus ſi
placere magis, quam iuſtis pre-
cibus obſequi pergat, Regem ſuā
offenſam talem grauiſſimè latu-
rum, initurumque idoneas ad
tam manifeſtae iniuriae vltio-
nem rationes. Hæc & plura fa-
cunde, ac magna alacritate di-
xit Belliuerius; quem Eliſabe-
tha moroſè, nec ea, quâ ſolita
erat, patientia accipiens, reſpon
dit ingentis momenti eſſe nego
tium, nihil propterea niſi matu
ra cum deliberatione ſtatuen-
dum; acturam ſe cum Regni
conſiliariis, ex quorum arbi-
trio plus, quam ex ſuo, admini-
ſtratio penderet. Ancipitem, &
modo in hanc, modo in illam
pro-

propendentem ſententiam, hæretici ad perdendam captiuam omni conatu inſtigare, nec vllum in ea tollanda periculum, Scotiæ Regem adoleſcentem iuratis Mariç hoſtibus ſtipatum, nunquam aut raro admodum de parente cogitare, habere Gallum quod Domi agat, Papam, & Hiſpanum eadem, quæ ſemper, tractaturos, nec poſſe vllis beneficiis, niſi funditus euerſa proteſtantium Religione, demereri. Miniſtelli e ſuggeſtis, e pulpitis, in foro, in compitis, tam ad proceres, quam ad Populum Scythica barbarie exclamare, reformatum Euangelium Mariç incolumitate valde periclitari, alterius Mariæ ſubueniret recordatio, quæ vix Regno inaugurata Dei Miniſtros ex Anglia proturbarit, Papiſmum, & omnium gentium Papæ maxime addictos induxerit Hiſpanos. Scoti etiam

Digitized by Google

etiam, quos hæreſis corruperat, Anglam, nutantemq. ſenatum ad audendum erexere. Cũ Maria poſt latam in ſe mortis ſententiam vehementius, quam vires paterentur, cęleſtium rerum contemplationi, vigiliis, ieiunio, & orationi, nulla valetudinis habita ratione incubuiſſet, in morbum incidit, in quo non alia, quam quæ deſuper concedebantur, obtinuit ſolatia, nec mitius licet infirma habita, & ægrè medico foras ad herbas colligendas prodire facultas data. tertiò poſt editam ſententiam menſe Eliſabetha, cuius facile ad quoduis ſcelus ingenium, Besleũ ad comites ſupra recenſitos cum exequutionis mandato ſecreto mittit orans, vt Angliam quam citiſſime metu liberarent, quod niſi ſumpto de Maria ſupplicio fieri nequibat. illi V. Kal. Mart. vna cum capitalium rerum inqui-

qui-

Digitized by Google

quiſitore Frodringamum aduo lant, & à prandio ſtatim præ morbo decumbenti Reginæ nũciari iubẽt, habere ſe, quod cum ipſa loqui vellent, quæ nihil cũ ctata ſurrexit, & compoſito ad ſerenitatem vultu comites vocari iubet. Ingreſſus Sarisburienſis, quem Cantius, Pauletus Drurius, Beslæus ſequuti, nudato capite, quæ in mandatis habuerat, exponit: lecta deinde à Beslæo mortis ſententia nullũ vel leuiter moti animi indiciũ præbente Maria, quæ, facto ab aliis dicendi fine, placida, & conſtante oratione ad circumſtantes: *Gratias, inquit, pro optatiſſimo nuncio humanitati veſtræ ago, Viri Illuſtres, ſi in deliciis, & voluptatibus pro conditione ortus, & coniugij mei, in Scotia, aut Gallia vitam ad extremam ſenectam traduxiſſem, neſcio certe quo animo commu*

nem

nem hanc lucis vſuram mihi
adimi paterer, quoue ore, ipſius
naturae debitum ſoluendum
nunciãtis acciperem ſermones?
iam vero cum viginti totos an-
nos nihil aliud, quam terrorem
belli, ſquallorem carceris, &
continuum necis metum præ
oculis viderim; quod precor le-
ti genus tam infelicem animã
trahenti optandum non erit?
& ſi mortis expectatio morte
ipſa crudelior ſit, quoties me
miſeram occubuiſſe, ex quo in
manus veſtras incidi, putatis?
cui non dies modo, ſed & mo-
menta ſingula de violenta nece
ſuſpecta; dumque noctis tene-
bræ ingruerent, hæc, inquiebã,
vitæ meæ finem nox allatura
eſt; ſic ad omnem ſollicita motũ
& aptum inſidijs verebar ſilen
tium: potus quoque, cibuſque,
& quidquid neceſſitas exigit,
funeſtum, quæq. alijs mortali-

bus leuamen, mihi ſollicitudinē afferebant. aſt dum fido veſtro indicio moriendum quidem mihi intelligo, ſed plena luce, vnico ſecuris ictu, ſpectantib. ijs, quos innocentiæ meæ, & Catholicæ veritatis ad extremum defenſæ teſtes ſpero; vita me redditam, maximoque affectam profiteor beneficio: ſic lætà deſtinatam horam expectabo. Doleo tamen vices ſororis meæ, quam nollem factioſorum hominum ita regi arbitrio, vt quam minimam ſalutis, aut honoris ſui curam gerat: veniet aliquando dies, vtinam non ſero nimis, quo eam euerſæ Religionis, violatæque Maieſtatis regiæ pœnitebit, ſcietque vtri illam maiore amoris affectu proſequuti fuerint, ipſane quam in ſe conſpiraſſe contendit, an illi, qui diuturnã captiuitatem, & immer. tam mihi necem inferendam ſuaſerunt,

runt. hæc cum dixiſſet impoſi-
ta ss. bibliis dextera ſãcte iura
uit, nunquam ſe quidquam con
tra Eliſabethæ vitam aut di-
gnitatem cogitaſſe. Beslæo, qui
infectam hæreſi ad afflictam cõ
ſolandam ordiebatur concionẽ,
ſilentium indixit, tali ſibi conſo
latione opus eſſe negans. *Apo-
ſtatã Monachum, & ſacrilegũ
presbyterum ſequantur. quibus
regia Apoſtolorum, Martyrum,
Pontificum, & Doctorum via
nõ placet; ego interim pro ea ve
ritate extremam ſanguinis gut
tam libenter effundam, quam
vniuerſus ſanctorum aſſenſus
ſequendum docet, quamque tot
Reges maiores mei cum laude
profeſſi ſunt. mortem timeant
quibus aut noua, aut dubia
in vita placuerunt, non illi,
qui tritã Christi ſemitã intre-
pide calcarunt. Moriatur ani-
ma mea morte iuſtorũ & fiant*

nouiſ-

nouiſſima mea horum ſimilia. Petenti Beslæo, num ſaltem Decanum Petroburgenſem hominem eruditum, & probum audire cuperet? Si Catholicus, ait, libenter, ſin minus, rogo vt meum ad me elemoſinarium intromittatis: quod cum Bellęus ſine grauiſſimo ſcelere, & Reginæ offenſa fieri poſſe negaſſet; ſcelera ergo apud vos, inquit, habentur, non eſſe in Deum, & proximum ſceleſtum, non tamẽ me vel ad deſperationem, vel verę fidei abnegationem cogetis, quamuis id mihi recuſetis, quod Turca facile conceſſiſſet. Tum dimiſſis humaniter ex cubiculo, qui aderant, in conclaue ſe abdit, vbi poſtquam aliquãtulum fundendis ad Deum precibus vacaſſet, epiſtolam ad Elemoſinarium exarauit, quã quia breuem, & eximiæ pietatis indicem reperi, ſubijcio. *Hodie*

Digitized by Google

ab hæreticis tam vt Religionẽ meam deſererem, quam ipſorum vterer ſolatÿs, impugnata ſum. Ex Burgonio vero, & alÿs intelliges me de fide mea, in qua mori mihi certum eſt, fideliter proteſtatam eſſe. petÿ, vt me tibi conueniendi poteſtas fieret, quo peccata confiteri, & Sacramentum e manibus tuis recipere mihi liceret, at id crudeliter mihi negatum; vt & tranſportandi in Galliam corporis mei, & cõdendi teſtamẽti, aut quidquam aliud niſi per eorum manus ſcribendi poteſtas. Quandoquidem autem, te aut aliquẽ alium Sacerdotem Catholicum habere non poſſum, peccata mea vniuerſim, quæ ſpeciatim enarratura eram, confiteor; teque in nomine Dei precor, & obteſtor vt ad peccatorum meorum expiationem hac nocte mecum vigilare, Deum pro me obſecrari,

tum

Digitized by Google

tum abſolutionem ab omnibus peccatis mittere mihi velis. Conabor equidem vt præſentibus illis conuenire me tibi liceat (quod de aula mea Præfecto iam mihi permiſſum) tumque genibus tuis aduoluta, benedictionem à te petam. Interim vellim ad me certas precationes mittas, quibus tam hac nocte, quam ſequenti luce commodiſſime vti poſſim. tempus enim breue eſt, nec ſcribere mihi amplius vacat. Reliqua tibi commēdo. Vocatos deinde ex domeſtico miniſterio, ſola inter omnes vultus, vociſque ſerenitatē retinens, flentes vbertim, & diuinam implorantes iuſtitiam pijſſime ſolata, monuit Dei potius miſericordiam precarentur, vt ſibi fęlicem tranſitum; inimicis autem veram pęnitentiam largiretur: hæc effata quidquid reliquum erat auri,

argenti, veſtium, aut gemmarum liberaliſſime in ſingulos pro meritis diſtribuit, tum omnes vt ſui apud cælites memores eſſent rogans, in oratorium ſe recepit, ibique poſitis humi nudis genibus primam ac ſecundam noctis vigilias orando & Dominicam paſſionem meditando conſumpſit, ſub tertiam, duas virgines, quæ pio in Dominam ſtudio remanſerant, ad ſomnum capiendum dimittens ab omni humano remota conſortio, ſed confertiſſimis Angelorum ſtipata agminibus, ingentem pro peccatis dolorem, ardentemque in Deum amorem effuſis vbertim lacrimis teſtata eſt; tum Sacratiſſimum Chriſti corpus e ſuis ipſa manibus tanta deuotione ſumpſit, vt præclarum diuini amoris incendium in ore non minus, quam in corde ad extremum vitæ terminũ du-

Digitized by Google

durauerit. Singularis hæc fuit Reuerendiſſimi PP. Pij V. indulgentia, qui ne in ſterili, ac deſerto hæreticorum ſolo fame periret Eccleſiæ filia, poteſtatem ad ſanctiſſimam Euchariſtiam tractandam, quod munus ad ſolos Dei ſpectat presbyteros, Mariæ Reginæ ob raram in fide conſtantiam tribuit. Nona poſt noctem mediã hora orationibus multo, quam vnquam, ardentius inſiſtentem duo nobiles interpellant, adeſſe Prætorẽ nunciantes, ad quos illa: quo citius, eo melius; nam ſi in mortali hoc ergaſtulo, vbi in ſpeculo tantum & enigmate ſaluatorem Chriſtum, & Paradiſi gloriam contemplamur, cæleſti hac tam copioſe perfundimur dulcedine, quid erit facie ad faciem, & Deum boni ſfontem, ſicut ipſe eſt, videntibus? pediſſequas, reliquoſque familiares in

Digitized by Google

queſtus, & lacrymas effuſos placidè corripuit. *Amorem quidem veſtrum & fidum ad omnia obſequium toto hoc captiuitatis meæ tempore experta, non vt volui, ſed vt potui, exiguā ingentium laborum mercedem vobis rependi, cætera Dei, & Catholicorum Principum liberalitati committens. quod ſupereſt rogo, vt forti, & intrepido animo extremum hoc mihi preſtetis officium, fletum cohibete, ſingultus compeſcite, ne aut minus Catholice de præparata mihi in cælis corona iudicare, aut parum de bono meo læti videamini. Si præſentia conſideremus, nonne, & mihi, & vobis fœlix hic dies iudicandus, qui continuum mortis dolorem, & acerbam viginti circiter annorum ſeruitutem compendio quaſi finiturus eſt? quod ſi ad ea, quæ omni ſcientia verior fides*
nos

nos docet mẽtis aciẽ reflectamus, nũquid nõ dies hic mihi perennis æui initiũ,totiuſq.boni, proprio in fõte cumulũ largiturus eſt? nõ ne beati illi qui propter iuſtitiam perſecutionẽ patiuntur? quaſcunque miſeriarum, captiuitatis,ac mortis meæ cauſas adferant inimici, vos ſcitis non aliam eſſe, quam fidei Catholicæ profeſſionem,quæ ſola lex Domini iuſta,& recta:pro qua vtinam ego millies iterata morte occumbere poſſem. Gaudete ergo, & lacrimas has, quas dolor exprimit in lætitiam conuertite:nec optandum hunc exitum, ad quem raro diademata perueniunt, chariſſimæ Dominæ inuidete. Interim dum *ego quod reliquum eſt tragediæ perago, vos pro me ſedulò orate, ne aut nimia cauſæ meæ æquitate inflata in ſuperbiam extollar, neue præſentis ſupplicij metu in deſperationis abyſſum*

 mer-

mergar Tum ſingulas exoſculata virgines miniſtris oſculandam dexteram porrexit. Mox à Sarisburienſi Comite admonita, cuncta inferius parata, ſe quoque paratam reſpondens, Saluatoris in cruce pendentis imaginē venerabūda amplectitur; in quam vtraque ſublatam manu lumina figens ad ſupplicij locum infracto animo, ac ſtabili greſſu deſcendit, ſequentibus ex familia, quibus ea gratia conceſſa erat. Locus facinori deſtinatus pullata inductus veſtes trecentorum circiter hominum erat capax, in cuius medio erectum ex aſſeribus, trabibuſque pegma ad duorum pedum altitudinem; huius area quadra duodecim pedes longa ac totidē lata fuit, binis gradibus patebat aſcenſus; ad quē cū perueniſſet Maria, accurrēs Paulettus arcis Præfectus enitentem

Digitized by Google

tentem adiuit, cui illa: gratias ſibi ago, mi Paulete, hic vltimus erit pro me labor, ſed omnium, quæ preſtitiſti mihi, officiorum gratiſſimum. In throno hoc vere regio conſtitutæ vtrumque latus Sariſburienſis & Cantius clauſere, donec Beſlæus ſententiam, & executionis mandatum alta voce perlegit. aderant ducenti quinquaginta ſpectatores, quorum plerique rei nouitate, factique atrocitate permoti vix ſuſpiria, & tacita indignationis ſigna continebant. Maria vero oculos modo in Crucifixum, modo in altum tendens identidem Pſaltæ regij verba repetebat. *Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam &c.* ac vbi abſoluiſſe Beſleum vidit perluſtratis ſingulis in genua procidit, veneratoque numine innocentiam ſuam palam teſtata, nec quidquam vn-

quam à ſe contra Eliſabetham dictum factumue, in pedes dein de erecta huiuſmodi ſermone circumſtantes eſt alloquuta. *Vix mihi perſuadere valeo, inter tot homines, quot hic præſentes video, non eſſe aliquem, cui deplorandus hic ſtatus meus, ac magna dignus commiſeratione appareat: nam licet Sententiam in me publico iudicio latam, lectamque iam audieritis, nullus eſt in Anglia vicus, qui innocentiæ meæ teſtes non habeat quamplurimos, morior quidem & libenter, ſed nullius in Eliſabetham, aut Regnum hoc admiſſi criminis rea, niſi forte crimen ſit in auita maiorũ fide permanere, quam ego toto vitæ ſpacio profeſſa, non ſine gaudio in eadem, & pro eadem ſanguinem profundo. Fateor quidem, hicque in conſpectu veſtro à diuina miſericordia euis peccati*

cati

Digitized by Google

cati veniam peto, quod naſcentes in Scotia hareſes, nô ea, qua debui cura, & diligentia exſcindere ſtuduerim, verum culpam hanc, vt ſperoq; leuiorem reddit Nothi fratris mei in ſororem non male de ſe meritam & vniuerſam Eccleſiam perfidia: cuius omnia in fide promouenda ſpondentis conſilio decepta, Scotiam hareſi obrui, & memet in has anguſtias coniici permiſi: nec fidum magis fuit Eliſabetha ſororis mea iteratis nunciis promiſſum auxilium. Sed nihil eſt in preſentia, quod me tantopere moueat, quã quod Catholicam fidem in inſula hac vndique profligatam erigere, ac in priſtinum decorem reſtituere non potuerim, nec alio fine toties à me quaſita libertas. Sed tantam mihi gloriã, & ſibi bonum inuidentes, qui proximi ſunt Eliſabetha conſi-

liis

Digitized by Google

liis, omnem a me fugam vel le uiter tentatam in perniciem verterunt. non tamen miſeræ ſpem auferent, fore vt Britannia ſacris maiorum ritibus aliquando religioſè non operetur, hæc expectatio lætam me ex præſenti vita comitabitur. Interim vos rogo, teque ante alios, Melline, filio meo Iacobo nuncies, Parentem in extrema luce verſantem, nulla de re magis, quã de ipſius ſalute, & in Catholicæ Eccleſiæ gremium reditu fuiſſe anxiam; diſcat exemplo Matris præſentia contemnere, & futuris prouidere, cui multis licet millium paſſibus diſtanti, per ſacrum hoc crucis ſignum benedictionem meam impertior. tibi, Paulete gratias habeo pro ſedula in me cuſtodienda nauata opera, quidquid autem citra voluntatem meam, vt Reginæ tuæ obedires, feciſti, id totum tibi

con-

Digitized by Google

condonet Deus, vt ego ex ani-
mo condono : quod ſi defunctæ
manibus aliquid iucundum vt
facias, tua optima te moueat in
doles, Eliſabethæ ſorori meæ,
quam læta, quamque innocens
moriar nuncia; peccare quoque
meo nomine, vt afflictis tot æru
mnis famulis meis liberam ex
Anglia migrandi facultatem
cum qualicunque à paupere Do
mina collata mercede tribuat :
Corpus hoc in Galliam deferri
petÿ non aliam ob cáuſam, quã
vt Catholicorum aggregata
conſortio, piorum ſuffragÿs re-
crearetur anima. quod cum ob
tinere non valeam, Dei bonita-
tem imploro, cuius dextera vbi
que eſt, vt me Eccleſiæ vniuer-
ſalis meritorum iubeat eſſe par
ticipem. Talia cum dixiſſet, ite-
rum genibus innixa orationi-
bus inſtat Catholico more Lati
nis; quam innata farinæ bum;

ga

ganeonibus compellans impudentia Miniſtellus quidam, cæpit de fide differere: Maria vicinorum Procerum ope implorata. *veſtra*, inquit, *profana dogmata regna, libertatem, ac vitam deniq. ipſam mihi abſtulerunt, animam inſuper velle perdere non humanum, ſed diabolicum eſt*. tum Sarisburienſis Miniſtrum cauillantem adhuc, & reformatum euangelium nullo impugnante defendentem tacere coegit. Mariam vero ad virgines, quas pone ſe plorantes audierat, conuerſa; *vos ne, ait, pariter moleſtæ eſſe pergitis?* Sic crucem, quam manibus gerebat, ortis ex gaudio lacrimis aſperſam, venerantem Cantius admonet, crucifixum corde potius, quam manibus ferendum, cui illa: *Vt corde melius feram, manu fero.* Sublata protinus cruce: *hæc*, inquit, *illis, qui pro-*

feſ-

Digitized by Google

feſſionem fidei meæ non audierunt, quiq. cor non vident, qualis moriar, teſtis ſit. Tandem numen iterum, iterumque inuocans, Dei genetricem Mariam, quam affectu peculiari ſemper coluit, S. Andream Scotiæ Tutelarem, ac totam Cæleſtem Curiam voce clara, vt ſibi adeſſent precata, pectus ſalutari redemptionis ſigno muniuit. Exurgẽs Catholicorum, ſi qui forte laterent, preces expetijt. Velum, quod capite gerebat, veſtemq. ſuperiorem deponentem mirati vniuerſi, quam non viginti circiter annorum captiuitas fatigatam, non aduerſa plurium menſium grauatam valetudo, non pręteritę noctis vigiliæ languidam, non imminentis leti terror ſtupidam fecere; adeo cæleſte, quod ſumpſerat manna immortaliſque coronæ expectatio maieſtatem regiam, & natiuum

tiuum decorem pluribus licet moleſtijs obrutum inſtauraue rat. Aderat carnifex holoſerica veſte,& torque aureo inſignis; Accedentem,vt ancillas extremam Dominæ operam commo dantes iuuaret, Maria faceſſere iuſſit; *tuum, inquiens erit ceruices amputare, quas ego tibi breui nudatas porrigam*: ferũt nonnulli eam carnificem interrogaſſe, num eques eſſet,& abnuentem collatis in ipſo theatro inſignibus, in auratorum ordinem adſciuiſſe; vt nullo iure ademptam ſibi regiam poteſtatem, quamuis alieno mori cogeretur imperio, mõſtraret. nulli ex adſtantibus etiam hæreticis tam ænea fibra, vt ſuſpiria, gemitus, & ipſas lacrimas comprimeret, ſola Maria, cuius cæteri miſerias deflebant, immota, ferale linteum popoſcit: quod vt oculis admouit Pediſſe qua-

Digitized by Google

quarum fidiſſima, in genua pro uoluitur, ac recitata fidei profeſſione, inclamataque cęlitum ope, paruum ex auro crucifiſſum gutturi applicuit: ita repe titis crebro Ieſu, & Mariæ nominibus, collum regium ictui expoſuit. Carnifex tremulus, & ſolitæ feritatis oblitus ſecurim librat, nec niſi tertio vulnere abſciſſum caput ſpectatoribus, auertentibus à tam immuni ſpectaculo lumina, oſtendit, fracta voce, & attonito ſimilis ingeminans, Deus incolumem ſeruet Reginam Eliſabetham. & ſic pereant omnes Euangelij reformati hoſtes, red dita pijſſima creatori anima pe tierunt famulæ, vt defunctæ Dominæ corpus lauare, vngere, ac in loculum componere ſibi lice ret, ſed negatum id à Pauleto, qui à ſuis in cubiculum id deferri curans, balſamo condi-

cum,

Digitized by Google

tum Petroburgi iuxta Catharinam Angliæ quondam Reginam Caroli V. Imperatoris Materteram, & Miſeram Henrici Apoſtatæ coniugem, ſine vllo honore aut pompa funebri, humari iuſſit, Tandem à Iacobo filio magnæ nunc Britanniæ Rege poſt aliquot annos inde erutum, ac Regio apparatu in celebri VVeſtmonaſterienſi ſarcophagos ſuperbo tumulo locatum quieſcit.

Hic exitus fuit Marię Stuartæ Principis, ſi ea ſpectes, quæ fallaci ſpe mundus promiſerat, beatiſſimę, ſi quæ dedit, miſerrimæ. Scotię regnum a patre infans accepit, in Galliæ ſocietatem adoleſcentula coniugij iure venit, Angliæ & Hyberniæ aliquando imperatura, niſi hæreticorum furor Innocentem libertate, atque ipſa vita ſpoliaſſet. Sed quam viuenti negauit

&

& inuidit improborum impietas, in morte adepta gloriam eſt, omnium bonorum ſermonibus laudata, oratorum linguis ſtyliſque celebrata, poetarum etiam carminibus decantata, ab eo tandem prẹconiũ expreſſit, qui inter bonos optimus, inter doctos facile primus, inter mortales Princeps & eſſe, & haberi meruit: is fuit Maphẹus Barberinus nobilis Florẽtinus, qui vt erat adoleſcens adhuc ingenio perſpicaci, iudicio limato, & moribus ad omnem virtutem & humanitatem factis, piæ Reginæ miſerias pio affectu proſequẽs eſequias ſeqnenti epitaphio exornauit.

Te quãquã immeritã ferit, ò Regina ſecu
Regaliq tuũ funus honore caret: (ris,
Sorte tua gaude, mærẽs neq; Scotia plores,
En tibi põp.a tuas quæ decet exequias.
Nam tibi nõ paries atro velatur amictu,
Sed terras circum nox tenebroſa tegit,

Non

Non tibi contextis lucent funalia lignis,
Sed cæli ſtellæ; Nænia triſtis abeſt,
Sed canit ad feretrũ ſuperũ chorus aliger,
Cæleſte incipiẽs voce, ſlere iubet. (et me

D. O. M.

MARIAE STVARTAE SCOTORVM REGINAE, FRANCIAE DOTARIAE, IACOBI V. SCOTORVM REGIS FILIAE, ET HAEREDI VNICAE, HENRICI VII. ANGLORVM REGIS, EX MARGARITA MAIORE NATV FILIA IACOBO IV. SCOTORVM REGI MATRIMONIO COPVLATA PRONEPTI, EDVARDI IV. ANGLORVM REGIS EX ELISABETHA FILIARVM SVARVM NATV MAXIMA ABNEPTI, FRANCISCI II. GALLORVM REGIS CONIVGI, CORONAE ANGLIAE DVM VIXIT CERTAE ET INDVBITATAE HAEREDI, ET IACOBI MA-

HAE-

GNAE BRITANNIAE MONARCHAE POTENTISS. MATRI.CAROLIQ.HVMANI GENERIS DELITIARVM ET LECTISSIMI PRINCIPVM FLORIS AVIAE.STIRPE VERE REGIA,ET ANTIQVISSIMA PROGNATA ERAT, MAXIMIS TOTIVS EVROPAE PRINCIPIBVS AGNATIONE ET COGNATIONE CONIVNCTA,ET EXQVISITISSIMIS ANIMI ET CORPORIS DOTIBVS ET ORNAMENTIS CVMVLATISSIMA. VERVM(VT SVNT VARIAE RERVM HVMANARVM VICES) POSTQVAM ANNOS PLVS MINVS VIGINTI IN CVSTODIA DETENTA, FORTITER ET STRENVE, SED FRVSTRA,CVM MALEVOLORVM OBTRECTATIONIBVS, TIMIDORVM; SVSPICIONIBVS,ET INIMICORVM CAPITALIVM INSI

DIIS

Digitized by Google

DIIS CONFLICTATA ESSET TANDEM INAVDITO ET INFESTO REGIBVS EXEMPLO, SECVRI PERCVTITVR, ET CONTEMPTO MVNDO DEVICTA MORTE, LASSATO CARNIFICE, CHRISTO SERVATORI ANIMAE SALVTEM, IACOBO FILIO SPEM REGNI, ET POSTERITATIS ET VNIVERSIS CAEDIS INFAVSTAE SPECTATORIBVS EXEMPLVM PATIENTIAE COMMENDANS, PIE, PATIENTER, INTREPIDE CERVICEM REGIAM SECVRI MALEDICTAE SVBIECIT, ET VITAE CADVCAE SORTEM CVM CAELESTIS REGNI PERENNITATE COMMVTAVIT. VI. IDVS FEBRVARII AN. CHRISTI MDLXXXVII. AETATIS XLV.

Quam Vrbanus VIII. Reginæ Chri-

Digitized by Google

Chriſtianè morientis conſtantem pietatem adoleſcens olim argutis politiſq. verſibus cecinit, hanc vnis Italicis & ſua manu holographis (quarum apud ſe autographum illuſtriſſimus domiuus meus Franciſcus Cardinalis Barberinus Gẽtis noſtræ protector & mæcenas digniſſimus cymelii loco aſſeruat) alteriſque latinis ad viuentem literis admiratus eſt & laudauit Pius V. ſenex vt in vita, ſic poſt mortem certiſſimis ſanctitatis argnuentis clariſſimus. has epiſtolas, Reginæque ad ſummum paſtorẽ amoebæam narrationi meæ pro coronide ſubtexere viſum eſt, cũ vt impurum calumniatoribus optimæ Principi famam lacerantibus os occludatur, tum vt intelligat vniuerſus terrarũ orbis, nihil ſummo *Pontifici* & ſedi apoſtolicæ fuiſſe aut eſſe Bri-

Digitized by Google

t nnorum Britanniarumq. *Re*gis Iacobi Marię filij ſalute & bono antiquius & carius.

Pius Papa Quintus.

Chariſsima in Chriſto filia ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

QVando noi intendeſimo i trauagli che da ſeditioſi & alieni dalla vera, è Catholica Religione li furono excitati, nō mancaſſimo con tutto il cordiale, e paternale affetto, che conueniua ricorrere al Signore Dio, con pregarlo, e temendo, che per noſtri peccati non fuſſimo meriteuoli d'eſſer eſſauditi, di farlo pregare da molti Religioſi, e ſerui del grande Iddio, et hareſſimo deſiderato poterle ſoccorrere con la propria vita e ſangue, ſi come non man-

mancaſſimo di fare offitio con quei noſtri cariſſimi in Chriſto figliuoli Prencipi Catholici, che voleſſero porgergli aiuto. Piacque poi alla diuina miſericordia e clemenza di refrigerare alquanto noſtra graue meſtitia con farne hauer noua qualmente da ſi gran pericolo era liberata, del che ne rendeſſimo non quante doueuamo, ma ben quante à noſtre exigue forze, e debole ſpirito fù poſſibile gratie, e per non poſſer venire in perſona, non permettendolo la graue età, ne molti carichi noſtri, n'è parſo mandare il noſtro venerando, e caro fratello il Veſcouo del Mondoui portator di queſta, di rara virtù, bontà, dottrina, e prudenza Prelato noſtro Nuntio, acciò poſſa ſeruirla in tutte l'occorrenze, come da lui, à cui darà ampla fede, li ſarà eſpoſto, e ſia ſecura,

Digitized by Google

che non poſſemo, ne volemo mancarle di qualunque aiuto à noi poſſibile, coſi pregamo quel che per ſua prouidenza, non già per noſtri meriti, ne hà fatto ſuo Vicario, doni perſeueranza & animo inſuperabile à voſtra Real perſona. Di Roma à 16. di Giugno 1566.

Eadem latinè expreſſa

Chariſſima in Chriſto filia ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX quo tumultus a perduellibus tuis, *iiſdemque* ſinceræ & Catholicæ religionis hoſtibus excitatos intelleximus, non prætermiſimus, quo minus ex animo, omnique paterno affectu, ſicut par erat, ad Dominum Deum confugeremus, timentesq; ne ob peccata no-

noſtra exaudiri non mereremur, plurimorum religioſorum & ſummi Dei miniſtrorum interceſſione & orationibus vſi ſumus. Optaſſemus quoque vita noſtra & ſanguine tibi ſuccurrere, ſicuti non omiſimus cum chariſſimis noſtris in Chriſto filijs Catholicis Principibus agere, vt auxilium tibi ferrent; placuit demum miſericordiæ & clementiæ diuinæ lenire aliquantulum grauem noſtrum dolorem, accepto nuncio te tã ingenti periculo ereptam eſſe; quam ob rem egimus Deo, non quas debuimus, ſed quas pro tenuibus noſtris viribus & remiſſa pietate potuimus, gratias. nunc quoniam ob ingraueſcentem iam noſtram ætatem, ac tot immenſas occupationes, quibus pro vniuerſa Republica Chriſtiana diſtinemur, in Scotiam ire non poſſumus, mittendum duximus Venera-

Digitized by Google

nerabilem & charum fratrem noſtrum Montiſregalis Epiſcopum, latorem præſentium, virum rara virtute, probitate, doctrina, & prudentia præditum Nuncium noſtrum, qui tibi ſingulis quibuſque occaſionibus inſeruiat, quemadmodum ab ipſo, cui plena fides habenda eſt, exponetur. Tibi interim perſuadeas, nos nec poſſe, nec velle vlla in re commodis tuis deeſſe. ad extremum eum precamur, qui nos prouidẽtia ſua, non autem noſtris meritis Vicarium [illegible]it, vt perſeueranti[illegible] que[illegible]ſtum [illegible]

Mariæ reſponſum ad Pium V.

BEatiſſime Pater. Poſt hu-
millima pedum oſcula, in-
gens cura, vigilque ſollicitudo,
quam de religionis catholicæ
conſeruatione B. V. ſuſcepit,
cum omnibus vbique locorum
ſatis nota, atque perſpecta eſt,
tum verò clariſſime mihi, vt
vni ex filiabus veſtris ſanctæ
Matris Eccleſiæ. Nam non ſolû
a B.V. hiſce meis aduerſiſſimis
atque turbulentiſſimis tempo-
ribus litteras conſolationis, at-
que ſpei pleniſſimas accepi, ve-
m etiam hauſi de dulciſſimo
te liberalitatis, munificen
que veſtræ miſſo intimo B
io, qui me conſolare-
maret, atque pater-
e beneuolentiæ ve-
iſſimum daret
ld quod equi

dico proficiſci a ſummo, atque
incredibili ſtudio veſtro inſtau
randæ, vbi collapſa eſt, reli-
gionis, confirmandi omnes
conſolationis indigentes, re-
uocandique & reſtituendi om-
nia in priſtinum ſtatum, de-
nique efficiendi, vt Deus vbi-
que laudetur, ac celebretur, fi-
de catholica per vniuerſum or
bé florente. Enimuero Chriſtia
ni omnes iuſtiſſimam cauſam
Deo gratias agendi habent;
quod talem, tam vigilantem,
tam dextrum Paſtorem, ac ve-
lut naui in maximis tempeſta-
tibus periclitanti, ſic Eccleſiæ
ſuę gubernatorem præfecerit.
Fit ergo vt ego inter reliquos
catholicæ fidei filios, ac filias li
bentiſſime, atque humillime ac
cipiam, atque amplectar diui-
nas haſce veſtras, atque ſpei
optimæ pleniſſimas admonitio
nes, atque conſolationes, nec
cis

Digitized by Google

eis vllo loco defutura ſum, ſed omnibus viribus connixura ad reſtituendam, propagandamq; catholicam religionem: ac quò plura, certioraque de B. V. voluntate cognoſcere poſſem, curaui admonēdū B. V. Nuncium nunc in Gallia ſubſiſtentem, vt huc in regnum noſtrum quanta commode poterit celeritate ſeſe conferat. Recipietur profeſtò, tractabiturque omni, quo decet honore, habiturus me in propagando Dei honore, & regni tranquillitate conſtituenda conſiliorū ſuorum nō impigrā ſiue comitē, ſiue ducē. Dupliciter certè me fęlicem exiſtimo; quoniam duplici me ſolātio cumulare Dei miſericordia dignata eſt; altero benedictionis ac Nūtij mihi gratiſſimi, ac conſolationis pleniſſimi a B. V. miſſi receptione, altero dono filij à Dei benignitatē mihi conceſſi.

Digitized by Google

tum Petroburgi iuxta Catharinam Angliæ quondam Reginam Caroli V. Imperatoris Materteram, & Miſeram Henrici Apoſtatæ coniugem, ſine vllo honore aut pompa funebri, humari iuſſit, Tandem à *I*acobo filio magnæ nunc Britanniæ Rege poſt aliquot annos inde erutum, ac Regio apparatu in celebri VVeſtmonaſterienſi ſarcophagos ſuperbo tumulo locatum quieſcit.

Hic exitus fuit Marię Stuartæ Principis, ſi ea ſpectes, quæ fallaci ſpe mundus promiſerat, beatiſſimę, ſi quæ dedit, miſerrimæ. Scotię regnum a patre infans accepit, in Galliæ ſocietatem adoleſcentula coniugij iure venit, Angliæ & Hyberniæ aliquando imperatura, niſi hæreticorum furor Innocentem libertate, atque ipſa vita ſpoliaſſet. Sed quam viuenti negauit

& inuidit improborum impietas, in morte adepta gloriam eſt, omnium bonorum ſermonibus laudata, oratorum linguis ſtyliſque celebrata, poetarum etiam carminibus decantata, ab eo tandem pręconiũ expreſſit, qui inter bonos optimus, inter doctos facile primus, inter mortales Princeps & eſſe, & haberi meruit: is fuit Maphęus Barberinus nobilis Florẽtinus, qui vt erat adoleſcens adhuc ingenio perſpicaci, iudicio limato, & moribus ad omnem virtutem & humanitatem factis, piæ Reginæ miſerias pio affectu proſequẽs eſequias ſeqnenti epitaphio exornauit.

Te quãquã immeritã ferit, ò Regina ſecu
Regaliq tuũ funus bonore caret: (ris,
Sorte tua gaude, mærẽs neq; Scotia plσret,
En tibi põpa tuas quæ decet exequias.
Nam tibi nõ paries atro velatur amictu,
Sed terras circum nox tenebroſa tegit,

Non

Non tibi contextis lucent funalia lignis,
Sed cæli ſtellæ; Nænia triſtis abeſt,
Sed canit ad feretrũ superũ chorus aliger,
Cæleſte incipiẽs voce, ſilere iubet. (et me

D. O. M.

MARIAE STVARTAE SCOTORVM REGINAE, FRANCIAE DOTARIAE, IACOBI V. SCOTORVM REGIS FILIAE, ET HAEREDI VNICAE, HENRICI VII. ANGLORVM REGIS, EX MARGARITA MAIORE NATV FILIA IACOBO IV. SCOTORVM REGI MATRIMONIO COPVLATA PRONEPTI, EDVARDI IV. ANGLORVM REGIS EX ELISABETHA FILIARVM SVARVM NATV MAXIMA ABNEPTI, FRANCISCI II. GALLORVM REGIS CONIVGI, CORONAE ANGLIAE DVM VIXIT CERTAE ET INDVBITATAE HAEREDI, ET IACOBI MA-

HAE-

Digitized by Google

GNAE BRITANNIAE MONARCHAE POTENTISS. MATRI.CAROLIQ.HVMANI GENERIS DELITIARVM ET LECTISSIMI PRINCIPVM FLORIS AVIAE.STIRPE VERE REGIA,ET ANTIQVISSIMA PROGNATA ERAT, MAXIMIS TOTIVS EVROPAE PRINCIPIBVS AGNATIONE ET COGNATIONE CONIVNCTA,ET EXQVISITISSIMIS ANIMI ET CORPORIS DOTIBVS ET ORNAMENTIS CVMVLATISSIMA. VERVM(VT SVNT VARIAE RERVM HVMANARVM VICES) POSTQVAM ANNOS PLVS MINVS VIGINTI IN CVSTODIA DETENTA, FORTITER ET STRENVE, SED FRVSTRA,CVM MALEVOLORVM OBTRECTATIONIBVS, TIMIDORVM; SVSPICIONIBVS,ET INIMICORVM CAPITALIVM INSI

DIIS

Digitized by Google

DIIS CONFLICTATA ESSET TANDEM INAVDITO ET INFESTO REGIBVS EXEMPLO; SECVRI PERCVTITVR, ET CONTEMPTO MVNDO DEVICTA MORTE, LASSATO CARNIFICE, CHRISTO SERVATORI ANIMAE SALVTEM, IACOBO FILIO SPEM REGNI, ET POSTERITATIS ET VNIVERSIS CAEDIS INFAVSTAE SPECTATORIBVS EXEMPLVM PATIENTIAE COMMENDANS, PIE, PATIENTER, INTREPIDE CERVICEM REGIAM SECVRI MALEDICTAE SVBIECIT, ET VITAE CADVCAE SORTEM CVM CAELESTIS REGNI PERENNITATE COMMVTAVIT. VI. IDVS FEBRVARII AN. CHRISTI MDLXXXVII. AETATIS XLV.

Quam Vrbanus VIII. Reginæ

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianè morientis conſtantem pietatem adoleſcens olim argutis politiſq. verſibus cecinit, hanc vnis Italicis & ſua manu holographis (quarum apud ſe autographum Illuſtriſſimus dominus meus Franciſcus Cardinalis Barberinus Gẽtis noſtræ protector & mæcenas digniſſimus cymelii loco aſſeruat) alteriſque latinis ad viuentem literis admiratus eſt & laudauit Pius V. ſenex vt in vita, ſic poſt mortem certiſſimis ſanctitatis argumentis clariſſimus. has epiſtolas, Reginæque ad ſummum paſtorẽ amoebæam narrationi meæ pro coronide ſubtexere viſum eſt, cũ vt impurum calumniatoribus optimæ Principi famam lacerantibus os occludatur, tum vt intelligat vniuerſus terrarũ orbis, nihil ſummo *Pontifici* & ſedi apoſtolicæ fuiſſe aut eſſe

Bri-

Digitized by Google

tinnorum Britanniarumq. *Re*-
gis Iacobi Mariç filij ſalute &
bono antiquius & carius.

Pius Papa Quintus.

Chariſſima in Chriſto filia ſalu
tem, & Apoſtolicam be-
nedictionem.

QVando noi intendeſimo i
trauagli che da ſeditioſi
& alieni dalla vera, è Cath*olica*
Religione li furono excitati, nõ
mancaſſimo con tutto il cor-
diale, e paternale affetto, che
conueniua ricorrere al Signo-
re Dio, con pregarlo, e temen-
do, che per noſtri peccati non
fuſſimo meriteuoli d'eſſer eſſau
diti, di farlo pregare da molti
Religioſi, e ſerui del grande
Iddio, et hareſſimo deſiderato
poter le ſoccorrere con la pro-
pria vita e ſangue, ſi come non
man-

Digitized by Google

mancaſſimo di fare offitio con quei noſtri cariſſimi in Chriſto figliuoli Prencipi Catholici, che voleſſero porgergli aiuto. Piacque poi alla diuina miſericordia e clemenza di refrigerare alquanto noſtra graue meſtitia con farne hauer noua qualmente da ſi gran pericolo era liberata, del che ne rendeſſimo non quante doueuamo, ma ben quante à noſtre exigue forze, e debole ſpirito fù poſſibile gratie, e per non poſſer venire in perſona, non permettendolo la graue età, ne molti carichi noſtri, n'è parſo mandare il noſtro venerando, e caro fratello il Veſcouo del Mondoui portator di queſta, di rara virtù, bontà, dottrina, e prudenza Prelato noſtro Nuntio, acciò poſſa ſeruirla in tutte l'occorrenze, come da lui, à cui darà ampla fede, li ſarà eſpoſto, e ſia ſecura,

che non poſſemo, ne volemo mancarle di qualunque aiuto à noi poſſibile, coſi pregamo quel che per ſua prouidenza, non già per noſtri meriti, ne hà fatto ſuo Vicario, doni perſeueranza & animo inſuperabile à voſtra Real perſona. Di Roma à 16. di Giugno 1566.

Eadem latinè expreſſa

Chariſſima in Chriſto filia ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EX quo tumultus a perduellibus tuis, ijſdemque ſinceræ & Catholicæ religionis hoſtibus excitatos intelleximus, non prætermiſimus, quo minus ex animo, omnique paterno affectu, ſicut par erat, ad Dominum Deum confugeremus, timentesq; ne ob peccata

no-

noſtra exaudiri non mereremur,plurimorum religioſorum & ſummi Dei miniſtrorum intercesſione & orationibus vſi ſumus. Optaſſemus quoque vita noſtra & ſanguine tibi ſuccurrere, ſicuti non omiſimus cum chariſſimis noſtris in Chriſto filijs Catholicis Principibus agere,vt auxilium tibi ferrent; placuit demum miſericordiæ & clementiæ diuinæ lenire aliquantulum grauem noſtrum dolorem, accepto nuncio te tã ingenti periculo ereptam eſſe; quam ob rem egimus Deo, non quas debuimus, ſed quas pro tenuibus noſtris viribus & remiſſa pietate potuimus, gratias. nunc quoniam ob ingraueſcentem iam noſtram ætatem, ac tot immenſas occupationes, quibus pro vniuerſa Republica Chriſtiana diſtinemur,in Scotiam ire non poſſumus, mittendum duximus Ve-

Digitized by Google

nerabilem & charum fratrem noſtrum Montiſregalis Epiſcopum, latorem præſentium, virum rara virtute, probitate, doctrina, & prudentia præditum Nuncium noſtrum, qui tibi ſingulis quibuſque occaſionibus inſeruiat, quemadmodum ab ipſo, cui plena fides habenda eſt; exponetur. Tibi interim perſuadeas, nos nec poſſe, nec velle vlla in re commodis tuis deeſſe. ad extremum eum precamur, qui nos prouidētia ſua, non autem noſtris meritis Vicarium ſuum fecit, vt perſeuerantiam, animumque inuictum regali veſtræ perſonæ impertiatur. Romæ V I. Iunij MDLXVI.

Ma-

Mariæ reſponſum ad Pium V.

BEatiſſime Pater. Poſt humillima pedum oſcula. Ingens cura, vigilque ſollicitudo, quam de religionis catholicæ conſeruatione B. V. ſuſcepit, cum omnibus vbique locorum ſatis nota, atque perſpecta eſt, tum verò clariſſime mihi, vt vni ex filiabus veſtris ſanctæ Matris Eccleſiæ. Nam non ſolũ a B.V. hiſce meis aduerſiſſimis atque turbulentiſſimis temporibus litteras conſolationis, atque ſpei pleniſſimas accepi, verum etiam hauſi de dulciſſimo fonte liberalitatis, munificentiæque veſtræ miſſo intimo B. V. Nuncio, qui me conſolaretur, confirmaret, atque paternæ erga me beneuolentiæ veſtræ grauiſſimum daret teſtimonium. Id quod equidem iu-

dico proficiſci a ſummo, atque incredibili ſtudio veſtro inſtaurandæ, vbi collapſa eſt, religionis, confirmandi omnes conſolationis indigentes, reuocandique & reſtituendi omnia in priſtinum ſtatum, denique efficiendi, vt Deus vbique laudetur, ac celebretur, fide catholica per vniuerſum orbē florente. Enimuero Chriſtiani omnes iuſtiſſimam cauſam Deo gratias agendi habent; quod talem, tam vigilantem, tam dextrum Paſtorem, ac velut naui in maximis tempeſtatibus periclitanti, ſic Eccleſiæ ſuę gubernatorem præfecerit. Fit ergo vt ego inter reliquos catholicæ fidei filios, ac filias libentiſſime, atque humillime accipiam, atque amplectar diuinas haſce veſtras, atque ſpei optimæ pleniſſimas admonitiones, atque conſolationes, nec

eis vllo loco defutura ſum, ſed omnibus viribus connixura ad reſtituendam, propagandamq; catholicam religionem: ac quò plura, certioraque de B. V. voluntate cognoſcere poſſem, curaui admonẽdũ B.V. Nuncium nunc in Gallia ſubſiſtentem, vt huc in regnum noſtrum quanta commode poterit celeritate ſeſe conferat. Recipietur profectò, tractabiturque omni, quo decet honore, habiturus me in propagando Dei honore, & regni tranquillitate conſtituendâ conſiliorũ ſuorum nõ impigrã ſiue comitẽ, ſiue ducẽ. Dupliciter certè me fęlicem exiſtimo; quoniam duplici me ſolatio cumulare Dei miſericordia dignata eſt; altero benedictionis ac Nũtij mihi gratiſſimi, ac conſolationis pleniſſimi a B. V. miſſi receptione, altero dono filij à Dei benignitate mihi con-

ceſſi.

Digitized by Google

ceſſi. De quo V. B. certiorem faciendam putaui, non ſolum quod mihi natus eſſet, ſed etiã quod propoſuerim,ac cum conſenſu meorum Procerum non ſine magna difficultate elicito decreuerim eum ſancto baptiſmate initiandum curare more Eccleſiæ catholicæ noto,atque viſitato, publicitus, Principum orthodoxorum legatis præſentibus,ſperans,ac Deo confidẽs, quod quemadmodum poſt maximam,grauiſſimaq. religionis demutationem Sacramentorũ eccleſiaſticorum vſus iam diu interceptus atque exoletus propemodum incipiet in Baptiſatione filij mei inſtaurari,ac renouari,ſic Deus Opt.Max.gratiam illi ſuam largiecur perſeuerandi ab incunabulis in eodem Sacramentorum vſu catholico & orthodoxo,atque meos omnes ad eundem pertrahendi.

Equi-

Equidem pro materno officio atque pietate dabo operam, vt eius educatio in catholica fide initio bene poſito fæliciter reſpondeat; cuius rei totius aduenienti Nuncio B. V. certum documentum dabo. Porrò miſimus familiarem noſtrum Stephanum Vuilſonem, qui haſce perferet, certo conſilio delectũ ad V. B. ex quo plura de voluntate noſtra in hiſce, atque aliis rebus cognoſcet: cui velimus, & exponendi deſideria noſtra poteſtatem det, ac fidem etiam habeat. Deus Opt. Max. diutiſſime te ſeruet Eccleſiæ ſuę incolumem, ac per S. T. religionem catholicam citò inſtauret, atque propaget. Edimburgi vij. Idus Octob. 1566.

Sanctitatis V.

Humillima, ac deuotiſſ. filia.

Maria.

Cha-

CHARISSIMAE IN CHRISTO
filiæ noſtrę Mariæ Sco-
tiæ Reginæ.

CHariſſima &c. Ex literis tuis, & à Nuncio tuo de tua incolumitate optatiſſimum & iucundiſſimum nuncium accepimus. Grata ſerenitati tuæ fuiſſe officia nonnulla erga te noſtra gaudemus. Non tam ex illis tamen, quam ex meritis tuis metiri animum noſtrum debes. illa.n. minora voluntate noſtra fuerunt; Tibi vero pro virtute tua, pro conſtantia, pro pietate, & deuotione erga hanc ſanctam ſedem eximia, ac ſingulari, multo maiora debentur. Quod Nuncij noſtri opportuno iam tempore à Gallia ad te accerſiti aduentum tibi gratũ fore ſignificas, & ſtudiũ atq. auxiliũ tuum ei non defuturum eſ-

ſe

ſe polliceris ad ea, quæ ad Dei honorem, & Regni tui tranquillitatẽ conſtituendam perti nebunt; libenter admodum id cognouimus. optamuſq. vt quã opportuniſſima tibi, regnoque tuo ſit eius præſentia. De filio tibi nato ingentem lætitiam cæpimus, & cum Serenitati tuæ de tanto Dei munere denuo gratulamur; tum ex hoc initio reliqua, quæ ad ſalutem iſtius Regni pertinent, nobis expectare poſſe videmur. Quod eum baptizandum publice curatura eras, laudamus in Domino piũ ſtudium tuum reducendi in vſum, & conſuetudinem ſanctos eccleſiæ Catholicæ ritus in tanto ſacramento adminiſtrando. Faxit miſericors Dominus, vt iſto exemplo ij, qui decepti miſerandum in modum ab hæreticis fuerant, in vero, & ſalutari huius, & aliorum Sacramen-

men-

Digitized by Google

mentorum vſu, ad ea rectè, ritè que & ſalubriter ſuſcipienda commoneantur, & reiectis errorum tenebris catholicę veritatis lucem recipiāt. Filio verò ipſi tuo Deus gratiā in ſacro fonte ſuſcipiēdā perpetuo conſeruet, tibiq. lætitiā ex eo cōceptā in dies magis augeat, atq. aliis multis donis, & gratiis munus ſuū cumulet. Reliqua cognoſces ex Nuncio tuo, quem deſideria tua nobis exponentem, ea, qua decuit, benignitate audiuimus, & ad te cū noſtra benedictione remiſimus. Dat. Romæ apud S. Petrum &c. die XXII. Ianuarii MDLXVI. Anno Primo.

FINIS.

ROMAE, Ex Typographia Andreæ Phæi. MDCXXIV.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Errata ſic corrige.

PAg.4.pulchretudinis, ſcribe pulchritudinis. p.6.Sereniſſimus, Sereniſſimis. p.13.vindicanti, vindicante. p.21.Briſtorum, Briſtou.ni ibid. delata, dilata: p.24.delectabitur, delectabatur: p.30.chardorum, chordarum: p.34.verſaretur, verſaretur: p.36. combuſiſſet, combuſſiſſet: p.43.deſtinatus, delegatus: p.44.redieret, rediret: p.47.ſuam, ſuam: p.55.ſicura, ſecura: ibid. ingenuit, ingemuit: p.60.exercitium, exercitū: ibid. tempore, tempora: p.91.volunta, voluntate: p.11;.Amas, Annas: p.127.decipere, deſipere: p.140.prodire, prodeundi: p.144.aſſenſus, cœtus: p.157.peccare, precare: p.160.febra, fibra: p.161.crucifiſſum, crucifixum: ibid.immuni, immani: p.163, eſequias, exequias: p.166.infeſto, infauſto: p 172, v i, xvi.

Sunt & alia errata, imprimiſque confuſa alicubi interpunctiones, & litteræ maiuſculæ pro minuſculis poſitæ: quæ omnia pro tua humanitate per te, Lector beneuole, corriges.

181
Z 738 — 3
99951

Errata ſic corrige.

[illegible]

[illegible]